

RHETORICA
CYPRIANI
SOARII
SOCIETATIS JESU
EXEMPLIS
ILLUSTRATA

A B

Ejusdem Societatis
THEOLOGO.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
MDCCXXIX.

Cum Facultate Superiorum & Privilegio S. Ces. Maj.

Rhetorica est Ars bene dicendi. Bene dicere est optimis Sententiis verbisque lectissimis dicere. Rhetorica Officium est, dicere appositè ad persuadendum ; finis, persuadere dicendo. Partes ipsius quinque sunt : Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. De his sit

RHETORICA

CYPRIANI SOARII

SOCIETATIS JESU

EXEMPLIS ILLUSTRATA.

LIBER I.

DE

INVENTIONE.

Inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, tam ad faciendam fidem, quam ad motus animorum excitandos. Quoniam igitur primum oratoris munus est, Invenire, dabit is operam, ut inveniat primò, quemadmodum fidem faciat iis, quibus volet persuadere: deinde quemadmodum in eorum animis motum excite. Fontes è quibus hauriuntur argumenta, ab Aristotele Loci Rhetorici nuncupantur; qui nihil aliud videntur esse, quam nota quedam, quibus admonemur, quid in rebus per vestigare oporteat. Hos, ubi res ad dicendum proponitur, Orator diligenter inspiciat, & quod aptum erit, cum judicio seligat: neque enim semper nec in omnibus causis nec ex iisdem locis eadem argumentorum momenta sunt.

Arist. l. 2. c. 24.

Fidem facit Orator Argumentis, motum amplificationibus.

Est autem Argumentum probabile inventum ad facien-

dam fidem: sive, est ratio rei dubia faciens fidem. Ar-
gumenti verò explicatio dicitur Argumentatio.

CAPUT I.

DE

LOCIS RHETORICIS.

Alli sunt intrinseci, alii extrinseci: Ex illis eruuntur argumenta intrinseca, quæ insunt ipsi rei, de qua agitur: ex his extrinseca, quæ extra rem sunt, & aliunde petuntur: ut, si probes, eloquentiam esse expectandam, quia est ars bene dicendi; uteris arguimento intrinseco: si idem probes, quia Aristoteles id dixit, argumentaris ab extrinseco: non enim auctoritas Aristotelis ipsi eloquentiæ inest.

ARTICULUS I.

DE

LOCIS INTRINSECIS.

Sunt numero sexdecim; Definitio, Partium Enume-
ratio, Notatio, Conjugata, Genus, Forma, Si-
militudo, Dissimilitudo, Contraria, Adjuncta,
Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Cau-
sa, Effectus, Comparatio.

DE

DEFINITIONE.

Questio I. Quid est, & quomodo fit definitio?
Res. *Definitio est oratio explicans naturam rei;*

sive

R H E T O R I C A E

5

sive, est oratio, quæ id quod definit, explicat, quid sit: ut, virtus est recta animi affectio: Rhetorica est ars bene dicendi.

Modus faciendæ definitionis hic est: primò invenitur aliquid, quod res definienda commune habet cum aliis; deinde quaeritur aliquid, per quod differt ab aliis: primum Philosophi Genus appellant; alterum, Differentiam. Sic in definitione Rheticæ, Ars genus est, quia est aliquid commune & Rheticæ, & Grammaticæ, & Poësi & multis aliis, Bene dicendi differentia est, quoniam per hoc Rheticæ differt ab omni alio: verum hæc definiendi ratio magis Philosophis, quam Oratoribus usitata probatâque est. Hi enim ratiō per genus & differentiam, s̄epissimè vero rem per effectus suos, causas, similia, aliaque id genus describunt atque definiunt.

Sic Cicero L. 5. tusc. qq. definit Philosophiam: O vita Philosophia Dux! Indagatrix Virtutum! Virtorum Expultrix! Mater omnium Artium! ut ait Plato, Deorum inventum! & L. 2. de Oratore definit Historiam: Historia testis temporum, Lux Veritatis, Vita Memoria, Magistra Vita, Nuncia Veteratis.

Hominem à causis definire potes: Animal à Deo conditum ex mortali corpore, ratione prædictum, factum ad beatitudinem sempiternam.

Questio 2. Quænam definitio maximè celebratur apud Rethores? s̄. ea, quæ fit per negationem & affirmationem; quā primò quidem dicitur, quid res non sit; deinde quid sit. Ita Cicero definit consulatum Pisonis.

Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Roma Consulem dicere audebis? quid? tu in Lictoribus,

in toga, in prætextū esse consulatum putas? que ornamen-
ta etiam in sext. Clodio, te Consule, esse voluisti. Hujus
tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas?
animo Consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate,
vigilantia, cura, toto denique munere consulatus.

Et oratione pro domo sua, populum Rom. definit:
An tu populum Rom. illum esse putas, qui constat ex iis,
qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim affe-
rant magistratibus? ut obsideant Senatum? optent quo-
tidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tandem popu-
lum, nisi clausis tabernis, frequentare non poteras?
O speciem dignitatēmque populi Romani! quam Reges,
quam nationes ceteræ, quam gentes ultimæ pertimescant,
multitudinem ex servis conductis, ex facinorosis, ex egen-
tibus congregatam. Ille, ille populus Rom. est, Dominus
Regum, Victor atque Imperator omnium Gentium, quem
illo clarissimo die, scelerate! vidisti; tunc cum omnes Prin-
cipes civitatis, &c. Ad normam horum exemplorum
definire poteris Christianum, amicum, Regem &
quidlibet aliud.

Questio 3. Quomodo Argumentum dicitur à de-
finitione? &c. Quod convenit definitioni, conve-
nit etiam definitio, & contrà. Unde rem aliquam fu-
giendam vel amplectendam esse probabis, si per defi-
nitionem ostenderis bonam esse vel malam. Sic v. g.
ut probes ebrietatem vitandam, definias eam flagitio-
rum matrem, rixarum nutricem, vita dedecus, animæ
corruptelam &c. & conclude eam igitur fugiendam
esse. Contrà virtutem non esse ridendam probabis,
definiendo illam E. G. hoc modo: amare honestatem,
agere vitam rationi conformem, summo rerum om-
nium arbitrio sese submittere, ejus parere legibus, ob-
sequi

Se qui voluntati, hæcne ejusmodi esse putabimus, ut ea
qui præstiterit, perulantibus hominum linguis, risu,
cachinnis excipi ac traduci mereatur? Ut probes, Phi-
losophiam amandam esse; sic argumentare; vita Dux
est Philosophia, Indagatrix Virtutum, Vitiorum Ex-
pultrix, Mater omnium Artium; igitur amanda est.

D E PARTIUM ENUME- RATIONE.

Questio 1. Quid est Partium Enumeratio? Est
Oratio, quâ totum in suas partes distribuitur.
Sic Corpus distribuitur in caput, manus, pedes &c.
Virtus in prudentiam, fortitudinem, temperan-
tiam &c.

Caput in frontem, oculos, genas &c Valet hic
locus mirificè ad illustrandum & amplificandum.

Cicero pro Lege manilia, virtutes bellicas Pompejū
enumerat, ut prober, cum fore optimum belli Impe-
ratorem. Ego enim sic existimo, in Summo Imperatore
quatuor has res inesse oportere; Scientiam rei militaris,
virtutem, autoritatem, felicitatem &c. ubi singulas illas
divisionis partes eleganter pertractat.

Cicero in Pisonem. Non enim nos color iste servilis,
non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi,
supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo qui-
dam tacitus mentis est, in errorem homines impulit.

item. Senatus odit te, videre equites non possunt: plebs
Romana perditum cupit, Italia cuncta execratur.

Questio 2. In quo consistit vis argumenti, quod
ducitur à partium enumeratione?

8 LIBER I.

M. In eo, quod quidquid verè affirmatur vel negatur de Partibus omnibus, illud etiam rectè affirmari vel negari possit de toto.

Adverte autem, in arguimento à partium enumeratione sumendas esse omnes partes, ita ut nulla relinquitur: ut, si velles probare, calliditatem non esse virtutem ac diceres: calliditas non est justitia, nec prudenteria, nec fortitudo, nec temperantia; igitur nec virtus est.

Cicero divinat. In verrem, per partes enumerat, quidquid verres ubique locorum nequiter egerit.

Putasne te posse, quæ C. Verres in quæstura, quæ in legatione, quæ in pretura, quæ in Roma, quæ in Italia, quæ in Achaea, Asia, Pamphiliaque patrariis, ea quemadmodum locis temporibusque divisa sunt, sic criminibus & oratione distinguere?

Et verrinâ 6tâ, omnia verris furtâ enumerat, ut probet insignem fuisse furem.

Nego in Sicilia tota, tam vetere, tam locuplete Provincia, tot oppidis & familiis ullum argenteum vas, ullum eorinthiacum aut deliacum fuisse, nego ullam gemmam aut margaritam fuisse, aut quidquam ex auro aut ex ebore factum, signum ullum marmoreum, eburneum; nego ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin quæsierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit. Philipp. 2. probat Antonium non esse Consulem. Negat hoc Brutus Imperator, Consul designatus, natus Reip. Civis: negat Gallia; negat cuncta Italia; negat Senatus, negatis vos: quis igitur illum Consulem, nisi latrones putent?

Illiustris est & illa partium enumeratio, quæ Trajanî in urbem ingressus in Plinii Panegyrico describitur.

Ergo non etas quemquam, non valetudo, non sexus

rester-

retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret:
Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, ægri.
quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui,
quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Alii se satis
vixisse te viso, te reperto; alii magis vivendum esse sibi
predicabant. Videres referta tecta & laborantia; opple-
tas undique vias; alacrem hinc inde populum &c.

D E NOTATIONE.

Questio 1. Quid est Notatio sive Etymologia nominis?

R^s. Est locus, qui verborum originem & significa-
tionem inquirit. Sic Consul à consulendo, Senatus
à senibus, Imperator ab imperando dicitur.

Ovidius à senibus nomen mitte Senatus habet.

Et; Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Questio 2. Quomodo argumentum ducitur à no-
tatione?

R^s. Tametsi raro ab hoc & à sequenti loco argumen-
tum ducitur, quod ad probandum valeat, utimur
tam en iis, quod delectent; præcipue cum in nomine
alicujus laudem aut dedecus invenimus. Argumentum
fit hoc modo: si Consul est, qui consulit partiae, non
igitur Piso Consul, qui eam evertit.

Si verus Imperator est, qui sibi novit imperare,
ergo Nero verus Imperator non fuit, qui nescivit sibi
imperare.

Cicero Verrem magnum furem esse probat ex nomi-
ne; quod bona omnia è domibus evertat.

Et Chrysogonum de avaritia redditus suspectum, quia
nomen ejus aurum significat. A 5 DE

DE

CONJUGATIS.

Questio 1. Quid conjugata? R₂. Conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis ejusdem generis; id est, quæ orta ab uno variè commutantur. Ut, sapiens, sapienter, sapientia: Consul, consulo, consularis: Pius, piè, pietas.

Questio 2. Quomodo à conjugatis dicitur Argumentum?

R₂. Cicero L. 2. de Orator: hoc utitur exemplo: Si pietati summa tribuenda Laus est, debetis moveri, cum Marcellum tam piè lugere videatis.

In Pisonem; cum esset omnis causa illa mea consularis & senatoria; auxilio mihi opus fuerat & Consulis & Senatus.

Philipp. 11. Quos ego orno & nempe eos, qui ip̄i sunt ornamenta Reip.

Pro M. Marcel. Ceteros quidem omnes viatores jam nre aequitate & misericordia viceras; hodiernâ die te ipsum viciſti... ipsam Victoriaν viciſſe videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remiſisti. Recte igitur invictus es, à quo etiam Victoria ipsius conditio visque devicta est.

Terent. Homo sum; humani nihil à me alienum puto.

DE

GENERE ET FORMA.

Questio 1. Quid Genus & Forma?

R₂. Genus est quoddam totum, plures continens sub se partes, communione quadam inter se similes,

les, specie tamen differentes. Sic Virtus genus est, quia sub se continet tanquam partes, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, & Temperantiam; quæ sunt in eo quidem similes, quod earum quælibet sit virtus; differunt tamen, quia diversa est earum natura virtutum.

Sic animal est genus, quod sub se continet canes, equos aliasque brutorum species, quæ licet in eo sint similes, quod singulæ sint animal, differunt tamen in eo, quod diversa sit istorum animalium natura.

Forma dicitur pars generi subiecta, sive id, quod sub genere continetur. Sic equus continetur sub nomine communi, animal: prudentia sub nomine communi, virtus: Hinc virtus & animal sunt genus; equus & prudentia sunt forma.

Questio 2. Quomodo fit argumentum à Genere & Forma?

R. 1. Argumentum à genere sit, ostendendo, id, quod generi convenit, etiam convenire formæ, seu parti generi subiectæ: ut, *Virtutis Laus in actione consistit, ergo etiam Laus prudentiae in actione constituit.* Item nulli vitio obnoxius est, ergo nec avaritia aut ebrietati.

Ratio est; quia quidquid generi tribuitur aut negatur, id pariter iis, quæ sub genere continentur, tribuitur aut negatur.

R. 2. à Forma sic argumentaberis: Amat justitiam, ergo virtutem; odit avaritiam, ergo odit aliquod vitium.

Cicero in oratione pro Milone dicit argumentum à genere, ac probat, licere aliquando, occidere pravum hominem; ex quo infert, quod etiam licuerit Miloni occidere insidiatorem Clodium.

Quid

Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hac non scripta, sed nata lex &c.

Et pro Archia Poëta, Poësin ac Poëtas universè laudat, sit igitur sanctum apud vos humanissimos homines hoc Poëta nomen, quod nulla unquam barbaria violavit &c. In eaque thesi, seu communi Poëtis omnibus laude, magnam orationis bellissimæ partem consumit, ac tandem descendit ad Laudes Archiæ Poëtæ.

D E S I M I L I T U D I N E.

Questio. Quid similitudo?

R. Est, cum traducimus ad rem quampiam aliquid, ex re dispari, simile: sive, est duarum vel plurium rerum, in aliqua ratione, convenientia: sic Consul Urbis & Gubernator Navis, sunt duo, quæ in ratione gubernandi convenientiunt.

Etsi parum est similitudini roboris ad probandum, maximum tamen ad rem explicandam valet, mirificèque delectat. Habet illustria apud Tullium exempla.

Phil. 8. *In corpore si ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, utri ac secari patimur membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublicæ corpore ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputatur.*

Pro Cquentio. Ut Mare, quod naturâ suâ tranquillum sit, ventorum vi agitatur ac perturbatur, sic & populus Rom. suâ sponte placatus, hominum seditionis vocibus, ac violentissimis tempestatibus concitatur.

Philip. 4. *Faciam igitur, ut Imperatores institutâ acie solent; quoniam paratissimos milites ad praeliandum videant, ut eos tamen adhortentur; sic ego vos ardentes & eratos ad libertatem recuperandam exhortabor.*

Pro

Pro Comædo. Ut ignis in aquam conjectus continuo
restinguatur, & refrigeratur, sic referens falsum crimen in
purissimam & castissimam vitam collatum statim concidit
& extinguitur. Observa ex qualibet locutione metapho-
rica mox aptam similitudinem deprehendi. v. g. Ho-
minem nimis liberum, effrenem vocamus; ob istius-
modi hominis cum equo indomito & effreni simili-
dinem. Et sic de cæteris metaphoris.

D E

DISSIMILITUDINE.

Questio. Quid est Dissimilitudo?
Res. Est duarum vel plurium rerum, in aliquæ
tatione, disconvenientia. Sic lupus & agnus; Juris-
peritus & Belli-Dux; Christi affecula & Barbarus scytha;
in moribus & studiis disconveniunt: Argumentum sic
formabis: Barbari scythæ se suos in hospites gerunt
crueliter: igitur nos decet in eosdem humanos esse.
Item: Si Barbarorum est, in diem vivere, nostra con-
silia sempiternum spectare debent.

Cicero orat. pro Muræna per dissimilitudinem pro-
bat, Murænam belli Imperatorem Sulpicio Juriscon-
sulto præferendum esse.

Qui potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum
multo plus afferat dignitatis, Rei Militaris quam Juri
Civilis gloria? vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus
respondeas: ille, &c. ed, quod intendit, mature cum exer-
citu perveniat: te Gallorum, illum buccina cantus ex-
fuscat: tu actionem instituis, ille aciem instruit: tu ca-
ves, ne tui Consultores, ille ne Urbes aut Castra capian-
tur: ille tenet & scit, ut hostium copie; tu, ut aque plu-
via arceant. &c.

DE

D E C O N T R A R I I S.

Contraria vocantur, quæ in eodem subjecto vel esse non possunt, vel si fuerint, necessariò inter se pugnant. Sunt autem quatuor contrariorum genera; *Adversa, Privantia, Relata & Negantia.*

Questio I. Quid sunt Adversa?

Sunt ea, quæ maximè inter se distant, & ab eodem subjecto se expellunt, talia sunt Bellum & pax, virtus & vitium, sapientia & stultitia.

Ab adversis sic ducitur argumentum: odiosum est bellum, ergo pax expetenda. Sequenda virtus; igitur vitium fugiendum.

Cic. in Top. Si stultitiam fugimus: sapientiam sequamur; & bonitatem, si malitiam.

Cicero Catil. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio &c. Postremò copia cum egestate, bona & rata cum perdita, mens sana cum amentia, bona demique spes cum omnium rerum desperatione confligit.

Et oratione pro Cælio de Catilina sic loquitur: *Noque ego unquam fuisse tale monstrum in terris unum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus natura studiis cupiditatibusque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior & quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis terrior hostis huic civitati? quis in rebus publicis inquinatior & quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior & quis in largitione effusior.*

Quæ-

Questio 2. Quid Privantia?

R. Sunt res & privatio rei. Ut, vita & mors, visus & cæcitas, silentium & loquela, lux & tenebræ. Mors enim est privatio vitæ, cæcitas visus, tenebræ lucis, silentium loquelæ.

Ab his sic argumentaberis. Vita misera est, igitur mors optanda: lux jucunditatem parit, igitur tenebræ tristitiam. Visus innumera affert pericula, igitur cæcitas securior.

Cicero Catil. 1. *Quid est Catilina!* ecquid attendisse ecquid animadvertis eorum silentium: patiuntur; tacent. *Quid exspectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?*

Pro Milone. *Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam, si putetis per vos restituiri posse, nolitis.*

Questio 3. Quid Relata?

R. Sunt ea, quæ inter se conferuntur, ita ut unum sine altero intelligi non possit.

Talia sunt, datum & acceptum, discere & docere, pater & filius, dux & miles &c.

Argumentum. Si discere est honestum, ergo & docere. Et Cicero pro Marc. *Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tantæ sit gloria.*

Questio 4. Quid sunt Negantia?

R. Sunt ea, quorum unum negat alterum; ut, probus & improbus, sapiens & insapiens, dives & inops &c. Unde rectè sic concludes; si probus est, quo pacto improbitatem istam exercere potuit? Dives est, igitur patiperifuratus non est.

Cicero ad Heren. *Quare igitur unde iste tam pecuniosus auctus sit? amplum patrimonium relictum est?* at pa-

teris bona vñierunt. Hæreditas aliqua obvenit & à necessariis omnibus exhæredatus est.

Cicero orat. pro Cælio probat, Eloquentiam & labores quotidianos Cælii cum amorum blandimentis stare non posse.

Arqui scitore, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cælio, atque pœc studia, non facile in eodem homine esse posse fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, hoc, quidquid est, quod nos facimus, in dicendo non modo & agendo, verum etiam cogitando possit sustinere. An hic, si se isti vita dedisset, consularem hominem admodum adolescentis in judicium vocavisset? hic si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in has acie quotidie versaretur?

D E A D J U N C T I S.

Questio. Quid sunt adjuncta, & quomodo ab his ducitur argumentum?

R^ep. Adjuncta sunt ea, quæ cum re sunt conjuncta, ut, Genus, Natio, Patria, Ætas, Educatio, Fortuna, Occasio, Locus, Tempus, & alia, quæ rem circumstant, & vulgo circumstantiae dicuntur.

Adjuncta rei præcipua sequenti versiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Quis personam indicat, à qua res gesta est: Quid ipsam rem. Ubi locum, in quo gesta: quibus auxiliis, arma, instrumenta, adjutores rei gestæ. Cur causas, consilia: Quomodo modum exprimit: Quando tempus notat.

Argumentum ab adjunctis sic facies: vesperi vifus est,

est cum gladio, in loco, ubi cædes facta est, ergo cædem fecisse meritò creditur.

Est incredibili virtute prædictus; non ergo fædus violavit. Cicero orat. pro Milone, probat ab adjunctis, non Milonem Clodio, sed Clodium Miloni insidias struxisse. Si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis, tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cum alter (Milo) veheretur in Rheda penulatus, unà sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus? an vehiculum? an Comes? quid minus promptum ad pugnam, cum penula irretitus, Rhedâ impeditus, uxore pene constrictus esset. Videte nunc illum, primum egredientem è villa subito; cur vesperi? quid necesse est? qui convenit, præsertim id temporis? Nunc iter expediti Latronis (Clodii) cum Milonis impedimentis comparete. Semper ille antea cum uxore, tum sine ea: nunquam non in rheda; tum in equo: Comites Graculi, quounque ibat; tum nugarum in Comitatu nihil &c. Cur igitur vixus est? (Clodius) quia non semper viator à latrone; nonnunquam etiam latro à viatore occiditur.

Potens est iste locus ad probandum, & ad amplificandum fertilissimus: unde in rebus per adjuncta deducendis multum se tyro exerceat. Exemplum cape Aliud.

Judas prodidit Christum.

Illiis Propositionis hæc Adjuncta sunt. Quis prodidit? Quem, Quibus, & Cum prodidit? Quibus auxiliis, Quomodo, Ubi, & Quando prodidit?

(*Quis*) Immanis ille furcifer ac latro tetrum illud horribilèque hominis monstrum , ex omni scelere concretum , ex omni coagulatum malitia, vilissimus ille , detestabilisque servus, homuncio, transfuga; (*Quem*) Ducem, Dominum ac Deum suum , omnis sanctimoniae fontem , omnis thesaurum sapientiae , hujus universitatis Effectorem, summumque arbitrum ; (*Ubi*) ni horto divinis dudum ipsius vestigii, precibus ac lachrymis , nunc etiam fuso humi sanguine , recens consecrato ; (*Quando*) hac eadem nocte , quâ post celebratam cum illo cœnam lutulentos ejus pedes Christus ipse abluerat , & extaserat, (*Cur*) cœstro avaritiæ percitus , turpissima pecuniæ cupiditate stimulatus & incensus , (*Quomodo*) non aperta vi, sed dolo irruens , non denuntians palam bellum , sed pacem simulans , ficta salutatione , pestilenti complexu , atroci osculo ; (*Quibus*) nefandæ carnificum cohorti , quibus erat , & infensissimis inimicis , ejus vitæ jam diu insidiantibus , per inauditam execrabilèmque perfidiam vinciendum , excruciantum , ac contrucidandum objecit.

DE ANTECEDENTIBUS ET CONSEQUENTIBUS.

Antecedentia sunt ea, quæ sic antecedunt Consequentia, ut cum ipsis necessariò cohærent, quâ ratione ab adjunctis distinguuntur.

Ab

Ab his sic argumentamur: ortus est sol, igitur dies est; sol enim necessariò diem antecedit.

Consequentia sunt, quæ rem necessariò consequuntur, ut, dies est, igitur ortus sol est. Cicatricem habet, ergo olim accepit plagam: cicatrix enim necessariò consequitur plagam, dies ortum solem. Quanquam adverte, quædam dici etiam antecedentia, quæ probabiliter tantum cum re conjunguntur, tuncque pariter consecutio est tantum probabilis.

Cicero orat pro Muræn ab antecedentibus egregiè probat, Murænam saltatorem non fuisse, quia in eo non reperiuntur ea, quæ saltationem antecedunt; qualia sunt Ineoperantia, Convivia, Deliciae, &c.

Et Philip. 7. ostendit, Antonium urbe recipiendum non esse, propter mala, quæ ingressum ejus consequentur.

DE REPUGNANTIBUS.

Reputgnantia dicuntur, quæ neque certâ lege, neque numero inter se dissident: quâ ratione à contrariis atque dissimilibus discernuntur.

Unde repugnantia inter se quidem contraria non sunt, sunt tamen talia, ut, de quo unum affirmatur, alterum repugnet affirmari.

Exempli causa: amare & odire contraria sunt; at amare & nocere ei, quem amas, repugnantia sunt.

Argumentum ex hoc loco hunc in modum instruitur; amat illum, ergo illi non nocuit, nec læsit, nec convitiis insectatus est illum.

D E
C A U S I S.

Questio 1. Quid & quotuplices est Causa?

R^e. Causa est, quæ sua vi efficit id, cuius est causa. Ut, vulnus est causa mortis; cruditas morbi; ignis, ardoris.

Sunt autem quatuor causarum genera: Efficiens, Materialis, Formalis, Finalis.

Causa Efficiens est id, à quo res habet, ut existat. Ita Sol est causa diei, artifex Domus.

Causa Materialis est id, in quo aut ex quo aliquid sit. Ut ex ære statua, ex parietibus domus.

Causa Formalis est forma, per quam res est id, quod est, & à rebus aliis distinguitur. Sic anima est causa formalis hominis, quia est forma, per quam homo est homo & per quam ab aliis rebus distinguitur.

Causa Finalis est, cuius gratiâ aliquid fit. Sic causa finalis domus est ejus usus; belli, pax; hominis, beata vita.

Q. 2. Quomodo dicitur argumentum à causa efficiente?

R^e. Mundus à Deo creatus est, ergo est opus numeris omnibus absolutum.

Cicero de senectute ostendit, voluptatem esse fugiendam veluti causam efficientem malorum omnium.

Accipite optimi adolescentes veterem orationem Archiæ Tarentini, magni in primis & praelaris viri. Nullam capitaliorem pestem quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam.

Hinc

Hinc patriæ prodiciones; hinc rerum publ. eversiones; hinc clandestina cum hostibus consilia nasci dicebat; nullum denique scelus, nullum magnum facinus, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: cùmque homini sive natura, sive Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem. Nec enim, dominante libidine, temperantia locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere.

Questio. 3. Quomodo argumentum ducitur à Causa Materiali?

R. Hunc in modum: corpus hominis mortale est, ab ejus igitur societate & contagione immortalis animus avocandus est.

Cicero Verrina 6. exaggerat fuita Verris à causâ materiali candelabrorum &c. quæ rapuerat. Candelabrum è gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos est regius, gemmis erant distincta. Erat autem Vas vinarium ex una gemma prægrandi, cum manubrio aureo &c.

Questio 4. Quomodo à causa formalī & finali fit argumentatio?

R. à causa formalī sic argumentare: animus hominis est immortalis, igitur homo ad æternitatem beatæ vitæ debet aspirare:

A finali: Homo factus est ad contemplandum, non eigo ad pastum. Item, homo natus est ad æternam beatitudinem, non debet igitur voluptates & caduca bona consecrari.

Cicero orat. pro sexto probat, ex immortalita-

tate animi, mortem sibi non fuisse timendam.

Tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam experis consilii aut ingenii? nihil ipse legendo, quaren-
doque cognoveram e nesciebam vita brevem esse cur-
sum, gloriae sempiternum? cum esset omnibus definita
mors, optandum esse, ut vita, quæ necessitati debere-
tur, patriæ potius donata, quam reservata natura
videretur? Nesciebam, inter sapientissimos homines
hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent, hominum
animos sensusque morte restinguiri; alii autem, tum
maxime mentes sapientum ac fortissimorum virorum,
cum è corpore excessissent, sentire ac vigere? quorum
alterum fugiendum non esse, carere sensu: alterum
etiam optandum, meliore esse sensu.

Et orat pro Roscio ostendit Roscium non fuisse
patris occisorem, quod nullum occisionis propo-
situm finem habere potuerit.

DE E F F E C T I S.

Questio. Quid sunt Effecta?

R. Sunt ea, quæ sunt orta de causis: sicut
autem causarum, ita & effectorum quatuor sunt
genera.

Effectus cause efficientis est id, quod ab illa effi-
citur. Sic imago est effectus Pictoris, qui illam
effecit.

Effectus cause materialis est id, quod ex mate-
ria sit: sic statua est effectus æris vel ligni, ex quo
facta est statua.

Effectus cause formalis est illa denominatio, quam
dat causa formalis: V. G. effectus animæ rationalis
est, denominare hominem rationalem. *Effe-*

*Effectus cause finalis est, quidquid ad obtinen-
dum finem adhibetur. Ut, labor & virtutum exer-
citatio sunt effectus finalis æternæ beatitudinis.*

Argumentum ab Effectis validissimum est, &
Ciceroni frequentissimum.

Orat. pro Muræna commendat militarem virtu-
tem per effectuum congeriem.

Hæc nomen Populo Romano, hæc huic urbi æter-
nam gloriam peperit ; hæc orbem terrarum parere
huic imperio coëgit. Omnes urbanae res, omnia hæc
nostra præclara studia, & hæc forensis laus & indu-
stria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis : simul
atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ
conticescunt.

L. I. de Oratore, Eloquentiam ab effectis de-
scribit.

Neque verò mihi quidquam præstabilius videtur,
quàm posse dicendo tenere hominum cætus, mentes alli-
cere, voluntates impellere, quò velis ; unde velis de-
ducere. Hæc una res in omni libero populo maximèque
in pacatis tranquillisque civitatibus præcipue semper
floruit, sempèrque dominata est. Quid tam perrò
regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem
ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, libe-
rare periculis, retinere homines in civitate ? &c.

DE COMPARATIONE.

Questio 1. Quid & quotuplex Comparatio ?
Res. Comparatio est duarum vel plurium in-
ter se collatio. Estque hæc triplex ; videlicet majo-
ris cum minore, minoris cum majore, Paris cum
Pari.

Unde triplex oritur argumentatio, nimirum à majore ad minus, à minore ad majus, & à pari.

Questio 2. Quomodo sit argumentum à majore ad minus?

Respondet. Cum contendimus, quod id, quod in re maijori valet; valeat in minori; ut: Gigantem vicit; igitur & Pigmæum superabit. O passi graviora! dabit Deus his quoque finem. Virg.

Cic. in Ant. *Quid faceres domi tuae, cum alienam sis insolens.*

Terent. *Quem feret, si parentem non fert suum?* Cicero pro Roscio Amer. probat, mirum non esse, quod Sylla non omnia adverterit, cùm id ne Jupiter quidem possit.

Quid miramur, Lucium Syllam, cùm solus Remp. gereret, Imperiique Majestatem, quam armis receperat, aliqua animadvertere non potuisse? nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adeptæ non sit.

Et pro Muræna. *Noli tam esse injustus, ut, cum tui fontes vel inimici tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere.*

Questio 3. Quomodo sit argumentatio à minore ad majus?

Respondet. Quando ex affirmatione rei minus probabili concluditur magis probabile, ut, si hostilis exercitus à duabus legionibus vinci potuerit, multò magis à quatuor superari poterit.

Item, Martyres pro Christo sanguinem effuderunt, nos pro eodem levem contumeliam ferre detrectabimus; illi verbera gulerunt, nos verba non fecimus?

Cice-

R H E T O R I C A E

25

Cicero Act. 2. in Verrem. Quid est, quæso Metelle! judicium corrumpere, si hoc non est? quid faceres pro homine innocentे & propinquo, cum propter hominem perditissimum atque alienissimum de officio ac dignitate discedis?

Pro Archia Poëta: Bestia sæpe immanes cantus flectuntur atque consistunt; vos instituti rebus optimis non Poëtarum carminibus moveamini?

Pro Lege Manil. Majores vestri sæpe, mercatoribus ac navicularitoribus injuriis tractatis, bellageserunt; vos, tot civium Romanorum millibus uno nuntio atque anno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?

Questio 4. Quomodo fit Argumentatio à patre.
R. Quando pariter probabile ex patiter probabili concluditur: ut, Beati omnes innocentia vitæ & laborum tolerantiæ ad gloriam æternam pervenerunt; ergo & nos iisdem gradibus oportet ad eandem gloriam ascendere.

Cicero pro Sylla. Neque verò quid mihi irascaris, intelligere possum. Si, quod eum defendo, quem tu accusas, cur tibi quoque non succenses, qui accuses eum, quem ego defendo & inimicum, inquis, accuso meum: & amicum ego defendo meum.

P A R A D I G M A .

Quo ostenditur, ex omnibus locis intrinsecis erui facile argumenta posse, quibus Orator unam eandemque sententiam proberet ac stabilitat.

Sit *Justitia commendanda*.

Locus à definitione segetem uberem dicendi suppedigabit.

ditabit. V. G. Justitia est Regnorum moderatrix, expultrix scelerum, virtutum conciliatrix, pacis alumna, concordiae parens. *Enumeratio partium subjiciet singulos regni ordines, quibus Justitia prodest: nimirum Regibus ad dignitatem, Nobilibus ad splendorem, Civibus ad concordiam, Populis ad unitam societatem, improbis ad frænum, omnibus ad felicitatem.*

Notatio nominis hæc est; Justitia dicitur, quod suum cuique jus tribuat.

Conjugata. Qui justitiâ præditus est, justus dicitur, justèque temp. administrat.

Causa. Deum Authorem habet justitia, cui similem facit hominem.

Effecta. Pax, tranquillitas civium, pietas, religionis cultus, vitiorum extinctio, procreatio virtutum multaque alia bona à justitia proficiscuntur.

Ajuncta sunt ea, quæ cum juris prudentia individuam habent Societatem, ut, studia Philosophiæ, Historiarum, Legum, Exemplorum & tota antiquitatis peritia.

Repugnantia. Quomodo fieri potest, ut vir legum scientiâ præditus, otio, vitiæ molliori, aliisque vitiis obnoxius sit?

Similitudo. Justitia inter virtutes solis instar obtinet: atque ut solis præsentia nimbos dissipat, ita justitia pacem rebus pub. conciliat.

Dissimilitudo. Ut gentes, quibus justitia non illuxit, feram traducunt & agrestem vitam, ita qui illam præcipuo studio colunt, cæteris humanitate præstant.

Comparatio. Si fortitudo, prudentia, cæteræque virtutes laudib[us] dignæ sunt, quod privato cujusque bono consulant; quid justitia, quæ omnium utilitatibus prospicit?

Contraria. Juris prudentia hominum socordiam excutit, tollit literarum contemptum; Justitia verò scelera, dolos, fraudes, rapinas expellit; nonne ergo utraque laudanda est?

De cæteris idem esto judicium. *Lejay.*

ARTICULUS II. DE LOCIS EXTRINSECIS.

Loci extrinseci, ex quibus argumenta remora pertinentur, sunt sex: *Præjudicia, Fama, Tormenta, Tabulæ, Jusjurandum, Testes.*

Questio 1. Quid sunt *Præjudicia*?

R. Sunt Senatus consulta seni decreta jam antè facta, quibus orator utitur ad similem causam simili modo definiendam. Superioribus enim Judiciis, si recte instituta sunt, debent posteriora conformari.

Cicero Milonem defendit ex hoc loco Rhetorico.

Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum Iudicium de capite vidit Horatii, fortissimi viri, qui populi Rom. comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse imperfectam fateretur.

Ali-

Aliquando Præjudicium sumitur latius pro qua-
cunque contraria opinione, quæ jam animis Audi-
torum vel Judicum infedit. Hæc initio orationis
evellenda est, ne benevolentiam, attentionem,
aut docilitatem Judicum impedit.

Cicero pro Cluentio. *Quamobrem à vobis, Ju-
dices! antequam de ipsa causa dicere incipio; hoc po-
stulo: primum, id quod æquissimum est, ut nequid præjudi-
cati afferatis: etenim non modò autoritatem, sed
etiam nomen Judicum amitteremus, nisi hic ex ipsis causis
judicabimus: Deinde si quam opinionem jam vestris
mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si
oratio labefactabit, si denique veritas extorquebit, ne
repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus aut
aquis remittatis.*

Questio 2. Quid Fama?

¶ Est testimonium multitudinis; sive est
sermo sine ullo certo authore dispersus.

Quod à fama debile petatur argumentum, ostendit Cicero:

Orat. pro Cælio. *At fuit fama: quotus quisque
istam effugere potest in tam maledica civitate?*

Pro Plancio: Illud unum vos magnopere oro atque
obsecro, ne fidis auditionibus, ne disseminato disper-
soque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis.
Nihil tam volucre, quam maledictum: nihil facilius
emittitur, nihil latius dissipatur.

Econtrà ad confirmandam famæ autoritatem
valet illud Plinii junioris in Panegyrico Trajanî.
*Cesar! tales nos crade, qualis fama cujusque est: huic
aures, huic oculos intende: ne respicias clandestinas
existimationes, nullisque magis, quam audiencibus,*
inf-

insidiantes susurros : Melius omnibus, quam singulis
creditur singuli enim decipere & decipi possunt ; nemo
omnes, neminem omnes se fellerunt.

Questio 3. Quid tormenta, seu Questio ?
R. Est cruciatus, quo reus ad Confessio-
nem sceleris adigitur.

De hoc Cicero in topicis ita loquitur :

Facit necessitas fidem, quæ cum à corporibus, tum
ab animis nascitur. Nam à verberibus, tormentis,
igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.

Longè alia Cicero pro Sylla. Illa tormenta gubernat dolor ; moderatur natura cuiusque tum animi tum
corporis : Regit quaesitor, slectit libido, corrumpt spes,
infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritatis
loci relinquatur.

Et L. partit. Dolorem fugientes multi in dolore
ementiti persepe sunt, morisque maluerunt falsum fa-
tendo, quam inficiando dolere.

Questio 4. Quid per Tabulas intelligitur ?
R. Leges publicæ, quibus orator vel ad
cautam suam confirmandam, vel ad adversarium
refellendum utitur.

Cicero pro Milone. Quod si duodecim tabulae
nocturnum furem quoquo modo ; diurnum autem si se
telo defenderit, interfici impunè voluerunt, quis est,
qui quoquo modo imperfectus sit, puniendum putet, cum
videat aliquando gladium nobis ad occidendum homi-
nem ab ipsis porrigi legibus ?

Questio 5. Quid Jusjurandum ?
R. Est, cum aliquid, quæ Deo teste,
affirmatur vel negatur.

De hoc Cicero L. 3. de Offic. Nullum vinculum
ad astringendam fidem, jure jurando, majores arctius esse
volue-

voluerunt; id indicant leges in 12. tabulis; indicant sacra, indicant fædera, quibus etiam cum hoste devin-
citur fides.

E contra pro Comædo sic loquitur: *Qui mentiri solet, pejerare consuevit: quem ego, ut pejeret, exorare facile potero.*

Questio 6. Quid Testes?

Res. Nomine testium veniunt omnes ii, qui voce aut scripto de re, quæ controvertitur, testimoniū ferunt. Hi ab oratore vel allegandi sunt, vel etiam confutandi. Utrumque Cicero præstat variis in orationibus.

CAPUT II. DE AMPLIFICATIONIBUS ET AFFECTIBUS.

Postquam actum est, de argumentis, per quæ fidem faciat orator ac periuadeat; agendum pariter erit de concitandis affectibus, & permovendis hominum animis, quod rerum amplificatione fit. *Est autem amplificatio gravior quedam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* De hâc primo, dein de Affectibus.

ARTICULUS I. DE AMPLIFICATIONE RERUM.

Rerum Amplificatio sumitur ex iisdem locis Rheticis, quibus illa, quæ dicta sunt ad

R H E T O R I C A E

31

ad fidem faciendam : Maximè tamen valent definitiones congregatae , consequentium frequentatio , dissimilium & inter se pugnantium rerum conflictus & alia quædam , de quibus modò dicetur.

Questio 1. Quomodo fit Amplificatio à Definitionibus congregatis ?

R. Cùm ejusdem rei variæ definitiones in unum locum congeruntur & quasi congregantur , unde & alio nomine , congeries definitionum vocatur hic locus .

Adverte autem , raro ab oratoribus adhiberi definitiones , quæ fiunt per genus & formam ; sed , per causas , effecta , similia , dissimilia , contraria &c.

Cicero orat. pro Milone non satis habens dixisse , à Clodio incensam esse curiam , adjecit definitiones curiæ plurimas , ut motum in animis judicum exicitet . Curiam incendit , quo quid miserius , quid acerbius , quid luctuosius vidimus ē Templum Sanctitatis , amplitudinis , mentis , consilii publici ; caput Urbis , aram sociorum , portum omnium gentium , sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini , inflam mari , excindi , funestari .

Orat. pro Sextio. Ignari , quid gravitas , quid integritas , quid denique virtus valeret : qua in tempestate sœva , quieta est , & lucet in tenebris ; & pulsa loco manet tamen atque heret in patria , splendetque per se semper , nec alienis unquam sordibus obfolescit .

Solent ejusmodi definitiones congregatae adhiberi , cùm incalescit oratio , ad amplificandum ea , quæ bene vel male gesta sunt .

Aliæ

Aliæ Definitiones Conglobatæ.

*Definitio Invidiæ.**PER CONTRARIA.*

Invidia: malum genitum à bono; caligo est à splendore oriens, à pulchritudine nata deformitas; à risu lachryma fluens; Rivus est fellis à fonte mellis promanans, proprius ab aliena lætitia dolor. Candid.

*Definitio bona Conscientiæ.**PER SIMILIA.*

Diceres illam esse mare quoddam pacatum semper ac tranquillum, à quo inordinatæ mentis tempestates longius exulant: agrum fertilem, suavissimis virtutum omnium floribus ubique consumit: claram domum ac splendidam, in qua nihil non ornatum; ubi confusio rerum nulla, nulli tumultus, nullæ agitationes; sed quies secura, pax summa atque æterna tranquillitas felicissimum domicilium defixere. Lejay.

*Definitio Modestiæ.**PER EFFECTA.*

Est illa virtus, quæ linguam frænat, ne petulan-
tiūs quid audiat: quæ vultum componit &
oculos, ne quid superbum aut lubricum præseferant:
quæ risum moderatur, ne sit effusus nimis
& procax; atque ut uno verbo omnia complectat,
Modestia virtus est, quæ hominem ad urbanitatem,
decorum, humanitatemque totum fingit ac com-
ponit.

Quæ

Questio 2. Quomodo fit Amplificatio à consequenti frequentatione?

R. Cum ea, quæ rem quampliam mala aut bona consequatur, exponimus.

ut si adversus authorem belli faciendi, enumeres mala, quæ bellum sequi solent: nempe exhaustum ararium, proculatas segetes, incensas villas, eversa mœnia, direpta templæ, confusa divina humanaque omnia.

Aut si suasurus pacem enumeres bona, pacem consecutra; ut securitatem viarum, tranquillitatem urbium, quietem populorum, florem mercimoniorum, opum abundantiam &c.

Cicero pro Muræna. Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, reduudârint e illa pestis immanis Catilinæ prorumpet, quæ poterit; jam populo Romano minatur: in agros suburbanos repente advolabit: versabitur in castris furor, in Curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omni autem in sede ac loco ferrum flammamque metuemus.

4tā Catilin. Videor mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium subito uno incendio coincidentem: cerno animo sepultam Patriam, miseros atque inseptitos acervos civium; versatur mihi ante oculos aspectus Cæhegi & furor in vestra cæde bacchantis.

Amplificationes aliæ à consequenti frequentatione.

Tristis est Solis Occasus.

Cerne, ut occidente die, quasi natura omnis esset extincta sepultaque tenebris, amicitur ueste fu-

nebri mundus : ut accense micant toto aethere funesta
faces : ut celum , quod mane præ letitia colliquesce-
at in rorem melleum , sero solvitur in noxium fletum:
ut evanescit orbis pulchritudo ; ut obsolescit splendor
urbium camporumque amanitas ac florum decor : ut
cuncta triste silentium tenet , dum sola noctua , soli
bubones ac rana infestent omnia cantu ferali. &c.
Candid.

A L I T E R .

*Q*uod si Solluminum moderator deficeret , rerum si-
mul omnium moderatio interiret. E medio
tolleretur aureus ordo : una confusio regnaret:
in luctu , in tenebris jacerent omnia. Vinetorum
pulchritudo & dignitas desforeceret , herbarum
florumque ridens pictura sordeceret : hominis
ipsius vita inter anticipites librata periculorum aleas
ærumnosissime luctaretur. Quid enim ? Pelago
te committeres ? te fluctus irati maris absorberent.
Terram pedibus peragrares ? præceps rueres in fo-
veam & interitum. *Palat. Eloq.*

*Q*uestio 3. Quomodo sit Amplificatio à rerum
dissimilium & inter se pugnantium conflictu-
r. Cùm plura argumenta à dissimilibus & inter
se pugnantibus rebus coacervantur.

Ex hoc loco sumpta est elegans illa Ciceronis
amplificatio. Philip. 2. At quam multos dies in ea
villa turpissimè es perbacchatus ? ab horâ tertîâ bibe-
batur , ludebatnr , vomebatur. O tecta ipsa misera !
quam à Dispari Domino ! quanquam quomodo iste Domi-
nus ? sed tamen quam à dispari tenebantur ! Studio-
rum enim suerum Marcus Varro voluit esse illud , non
libidinum diversorium. Quæ in illâ villa anteà dice-
bantur & quæ cogitabantur & quæ literis mandaban-
tur &

tur ? jura populi Romani , monumenta majorum , omnis sapientia ratio , omnisque doctrina : At verò te inquilino (non enim Domino) personabant omnia vocibus ebriorum , natabant pavimenta vino , madebant parietes , ingenui pueri &c.

In Catil. 2. O bellum magnopere pertimescendum , cum sit habiturus Catilina Scortorum cohortem pratorianam . Instruite nunc contra has tam præclaras Catilina copias vestra præsidia , vestrosque exercitus : ac primùm gladiatori illi confecto ac saucio Consules Imperatoresque vestros opponite . Deinde contra illam naufragorum ejetiam ac debilitatam manum , florem totius Italiae ac robur educite . Neque verò ceteras copias , ornamenta , præsidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate debeo conferre .

Pro domo sua . Quaso & hominem cum homine & tempus cum tempore , & rem cum re comparate , ille erat summâ modestiâ & gravitate censor ; hic Tribunus Plebis scelere & audacia singulari &c.

Questio 4. Quomodo fit amplificatio à contrariarum rerum pugnâ ?

R. Cum eadem res per multas Antitheses exag-
getatur .

Cicero in Antonium : Tam autem eras extors , ut tota in oratione tecum ipse pugnares ; ut non modò non coherentia inter se diceres , sed maximè disjuncta atque contraria ; ut non tanta mecum , quanta tecum tibi esset contentio . Virricum tuum in tanto sceleri esse fatebâre ; pœnâ affectum querebâre Ita quod propriè meum est , laudasti , quod totius Senatus , reprehendisti .

Et in Catilinam . Hoc verò quis ferre possit , inertes homines fortissimis insidiari , stultissimos pruden-

tissimis, ebriosos sobrios, dormientes vigilantibus?

Et in Pisonem: Qui latrones igitur, siquidem
vos Consules? qui prædones, qui hostes, qui prodito-
res, qui Tyranni nominabuntur? Magnum nomen
est, magna Majestas Consulis: non capiunt angustia
pectoris tui: non recipit levitas ista, non egestas ani-
mi, non infirmitas ingenii sustinet; non insolentia
rerum secundarum tantam personam, tam gravem,
tam severam.

Pro Milone. Hiccine vir patriæ natus, usquam
nisi in patria morietur? aut si fortè pro patria, hujus
vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia
nullum sepulchrum esse patiemini? bunc suā quisquam
sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes ex-
pulsum à vobis ad se vocabunt?

Questio 5. Quomodo sit Amplificatio per ad-
junctorum congeriem?

¶ Cùm plures ejusdem rei circumstantiæ ad rem
augendam minuendamve congeruntur. Conti-
nentur illæ vulgari hec versa: *Quis, Quid, Ubi,*
Quibus auxiliis. Cur, Quomodo, Quando.

Ex hoc loco Tullius ebrietatem Antonii Philip. 2.
exagitat atque amplificat. Tu istis faucibus, istis
lateribus, istâ gladiatoria totius corporis firmitate,
tantum vini in Hippia nuptiis exhauseras, ut tibi ne-
cessè esset, in conspectu populi Rom. vomere postridie.
O rem non modò visu fædam sed etiam auditu! si in-
ter cænam, in tuis illis immanibus poculis, hoc tibi
accidisset, quis non turpe duceret? in cætu vero populi
Rom. negotium publicum gerens, Magister equitum,
cui ructare turpe esset, frustis esculentis vinum redolen-
tibus gremium suum & totum tribunal implerit. Alia
Exempla vide pag. 17. de Adjunctis

Quæ-

Questio 6. Quomodo fit Amplificatio à conge-
rie Causarum, Effectorum, Exemplorum?
R. Multas causas vel effectus rei ejusdem con-
globando; & plura exempla in medium afferendo
ad eandem veritatem confirmandam. Vide dicta
superiùs.

Questio 7. Quomodo fit Amplificatio à Com-
paratione?
R. Id pariter ex dictis de comparatione intelligi
potest. Hic addo Exemplum elegans Sancti Cy-
priani, amplificantis hanc Sententiam,

*Si herus delinquentem servum punit, cur Deus de
homine peccante supplicium non sumet?*

Ipse de servo tuo supplicium exigis. & hominem
homo obedire compellis, cum sit eadem vobis sors
nascendi, conditio una moriendi, corporis mate-
ria consumilis, animarum ratio communis, cum
æquali jure & pari lege vel veniatur in hunc mun-
dam, vel de hoc mundo recedatur: tamen nisi arbi-
trio tuo tibi serviatur; nisi voluntatis nutui parea-
tur, imperiosus servitutis exactor flagellis verberas;
fame, siti, nuditate, frequenter ferro & carcere
affligis & crucias; & non agnoscis Dominum Deum
tuum, cum sic exerceas ipse Dominatum?

ARTICULUS II.

DE

AFFECTIBUS.

Maxima vis existit oratoris, teste Tullio, in ho-
minum mentibus permovendis atque affe-
ctibus ciendis. Quæ res licet omnium Judicio

difficillima sit, & captum juventutis ferè superet, tractanda tamen erit, ne ignota penitus atque deserta negligatur.

Est autem Affectus, Motus animi ex apprehensione boni vel mali exortus.

Ex Apprehensione boni, oriuntur Amor, Desitium, Gaudium, Spes & Desperatio : ex Apprehensione mali, Odium, Fuga, Tristitia, Timor, Audacia, Ira. De his sit.

Questio I. Quid est Amor, & quomodo excitatur?

R. Amor est motus animi in bonum, quatenus bonum est. Dividitur in amorem benevolentiae & in amorem concupiscentiae; Hic est, si alteri bonum velis & procures, propterea utilitatis causâ; ille est, si bonum velis alteri ipsius causâ, quem diligis. Unde amare nihil est aliud, quam alicui bona optare & procurare. Amamus autem eos, quos eximia aliquâ bonitate, vel mentis vel corporis, ut, virtute, scientia, ingenio, arte, formâ, viribus, voce, saltu aliisque dotibus praeditos videsmus : hæc enim omnia, incentiva amoris & benevolentiae dicuntur.

Amamus præterea nobis similes vel ætate, vel genere, vel indole, moribus, studiis, laboribus, aliisque ejusmodi : uti & bene de nobis meritos, addictos, fidos & candidos. Quare si vel nos esse tales, vel eum, quem commendamus, ostendimus, Amorem ac benevolentiam conciliabimus.

Cicero Philip. 6. Amorem in temp. declarat.
An non ego provideam meis civibus & non dies noctes que de vestra libertate, de reip. salute cogitem? quid enim non debeo vobis, quem vos hominem à se ortum homi-

hominibus nobilissimis, omnibus honoribus prætulisti?

Et in Milonem. *Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, O Tite Anni! nullum à me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit: ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego &c.*

Questio 2. *Quid est Desiderium, & quomodo excitatur?*

R. *Est appetitus boni absentis; Quod varium est. Nam auti desiderium, avaritia; honoris, ambitionis; voluptatis, libido; inutilis scientia, curiositas; honestæ laudis, æmulatio dicitur.*

Qui desiderant, non minus, quam amantes, diu noctuque inquieti sunt; Somnum non capiunt, suspirant, gemunt, timent, suspicantur, dolent, optant omnia.

Desiderium excitatur, si luculentè ostendatur esse bonum verum, esse solidè utile, esse honestum & jucundum: Si proferantur exempla eorum, qui omne studium ad consecutionem istius boni contulerunt; si vituperentur alia bona, tanquam inania, fluxa, caduca, temporalia.

Questio 6. *Quid est odium & quomodo excitatatur?*

R. *Est aversio animi constans, proveniens ab eo, quod malum est aut esse videtur.*

Excitatur odium, si gravi ac vehementer stylo auditoribus proponatur, V. G. vitiorum fæditas, enormitas & multitudo: si facta avare, crudeliter, ambitiosè, libidinosè in rem publicam, in cives, Deum & Sanctos; si illatæ injuriæ, damna, contumeliæ, graphicè depingantur: si compares hominem cum tyrannis, belluis &c. Hic triumphat Ciceron act. 7. in Verrem. Si hæc non ad Cives Roma-

nos, non ad aliquos amicos nostrae civitatis, non ad eos, qui Populi Romani nomen audissent; Denique si non ad homines, verum ad bestias, aut etiam ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine, ad saxa & scopulos hac conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta atque in anima tantâ & tam indignâ rerum atrocitate commoverentur. Nunc verò cum loquar apud Senatores Populi Romani, timere non debeo, ne non unus iste Rom. istâ cruce dignus, ceteri omnes simili periculo indignissimi judicentur:

Alibi similia odia in Catilinam & Antonium eocitat Cicero.

Questio 4. Quid est fuga? & quomodo excitabitur?

R. Fuga est Motus animi ad depellendum malum non quidem adhuc præsens, sed proximè immensus. Excitatur motus ille vivâ expositione omnium eorum damnorum & molestiarum, quas malum istud, ubi præsens fuerit, secum afferet. Proinde h̄c valet locus Rheticus à congregatis effectibus.

Questio 5. Quid est Gaudium & quomodo excitabitur?

R. Gaudium est exultatio animi de bono præsenti. Excitabitur autem gaudium de tali bono, si ostendatur esse ingens, insperatum, partum magnâ virtute, obtentum illæsâ conscientiâ, applauditibus omnibus bonis, ringentibus malis.

Cicerio orat. in Pisonem. Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, cum in patriam redii; cum Senatum egressum vidi, Populamque Romanum universum. Cum mihi ipsa Roma propè convulsa sedibus suis ad conservatorem suum progredi visa est: qua me ita

ita accepit, ut non modò omnium generum, et atum, ordinum viri ac mulieres, sed etiam, mania ipsa vi-derentur & tecta urbis ac templo latari.

Q Uæstio. Quid est Tristitia & quomodo excita-bitur?

R. Tristitia est dolor animi ob malum præsens. Si dolor oriatur ex malo alterius, vocatur commis-satio. Excitatur ex contrariis fontibus, ex quibus gaudium nascitur; nimicum ex recordatione om-nium malorum, corporis, animæ, fortunatum, corumque magnitudine, quæ in nos, in amicos, in familiam redundant: maximè ex commutatione sta-tus feliciæ in infelicem, dignitatis in contem-ptum &c.

Cicero pro Sylla. O miserum & infelicem illum diem, quo Consul omnibus centuriis P. Sylla renuntia-tus est! o cæcam cupiditatem! o præpostoram gratula-tionem! quam citò illa omnia ex latitia & voluptate ad luctum & lacrymas reciderunt! ut, qui paulo antè Consul designatus fuisset, retineret repente nullum ve-stigium oris in dignitatis.

Pro Muræna. Modò maximo beneficio Populi Romani ornatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum, con-sulatum attulisset: nunc idem squalore sordidus, con-fectus morbo, lacrymis ac mœrore perditus, vester est supplex; vestram fidem obtestatur, misericordians implorat.

Vide Admirabilem Epilogum orat. pro Milone.

Q Uæstio 7. Quid Spes, Audacia & Desperatio?

R. Spes est desiderium boni absentis, ardui & difficilis, quod tamen labore acquire possit. Difficultatem hanc & laborem contemnere & supe-

rare, confidentis animi est atque audacis. Unde Audacia vel confidentia dicitur erectio animi ad mala ardua, quæ imminent, superanda. Unde & pars spei dici potest. Ad spem concipiendam excitatur animus, si ostendas difficultatem eandem ab aliis vel æqualibus vel inferioribus superatam fuisse; auxiliū Dei, cælitū, Amicorum non defuturum; gloriam & utilitatem labore & periculis longè majorem fore.

Cicero Philip. 3. in Antonium. Quæ quidem meā prudentiā, neque humanis consiliis, fretus polliceor vobis, quirites! sed multis & non dubiis Deorum immortalium significacionibus: quibus ego ducibus in hanc spem sententiāmque sum ingressus: qui jam non procul, ut quondam solebant, ab extero hoste atque longinquo, sed hic præsentes suo nomine atque auxilio sua templa & vobis tecta defendant.

Desperatio spei contraria, est dejectio animi, diffidentis, se ob nimiam difficultatem possè bonum obtinere vel malum avertere.

Promovetur argumentis, spei oppositis, si nempe virium defectus, infelix aliorum exitus, adversariorum infractus animus, subtractio auxiliorum oculos ponatur.

Questio 8. Quid timor & quomodo excitatur?
R. Timor est trepidatio animi & sensus doloris ex malo imminentे exortus.

Actiones timentium sunt, pallor, sudor, horror corporis, genuum debilitas, vigiliae, inquietus somnus, suspicio, gemitus, vota, ac demum fuga mali, si fieri possit.

Excitatur timor in sceleratis, conscientiā & recor-
datione criminum: in Aliis, cogitatione commu-
nis

his mali, ut pestis, belli, famis &c. Item mali proprii, mortis, jacturæ bonorum, famæ, &c. Nec non ex signis & portentis cœlestibus. Maximè verò timorem incutiunt mala, si diuturna erunt aut æterna.

Cicero Catilin. 4. *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium subito uno incendio concidentem &c. ut supra.*

Pisonem conscientiâ suâ pavidum atque cruciatum sic depingit: *Nunquam ego sanguinem expetiri tuum; nunquam illud extremum, quod posset esse improbis ac probis commune, supplicium legis ac judicium; sed abjectum, contemptum, despectum à ceteris, à te ipso desperatum & relatum, circumspectantem omnia, quidquid increbuissest, pertimescentem; dissidentem rebus suis: sine voce, sine libertate, sine auctoritate, sine ulla specie consulari, horrentem, trementem, adulantem omnibus videre te volui: vidi.*

Questio 9. Quid ira, & quomodo excitatur?

R. Ira est dolor animi ex malo præsenti & acerbo, quod ægrè depelli potest.

Aristoteles ait, esse appetitionem ultionis cum dolore, propter nostrî aliorumve contemptum.

Actiones icatorum sunt, minari, imprecari, exprobrare, convitiari, despicere, vindictam quædere &c.

Dissert ira ab odio, quod odium pertinax sit & sine dolore; ira cum dolore, & sæpe brevis.

R. Iram excitabis, si doceas injuriam contemptumque gravem, absque causa, cum fraude aut maledictis, cum exultatione & gaudio fuisse illatum: si despicientia facta sit cum læsione familie, à persona abjecta, ingrata vel consanguinea; si persona læsa fuerit benemerita, in honoribus posita &c.

Quæ-

Questio 10. Quænam observanda sunt oratoris in excitandis Affectibus? R. Sequentia:

1^o: In promptu Orator habeat figuræ ad motum faciendum idoneas, quales potissimum sunt Interrogatio, Prosopopæzia, Hypotiposis, Exclamatio, Apostrophe, Antithesis, Sustentatio: similiter teneat modos omnes amplificandi, de quibus supra dictum; cum amplificatione animus commoveri debeat.

2^o. Non prosiliat ad affectus concitandos, priusquam rem propositam luculentè demonstraverit, & auditori fidem fecerit: ignoti enim nulla cupido aut fuga est. Aliud tamen subinde circumstantia loci, temporis, personæ, aut ipsa rei communis notitia postulat.

Cicero in Catilinam & Pisonem, contra morem suum, statim à vehementi affectu orditur.

3^o. Ipse Orator commotus sit, ut alios commoveat; non enim accendet Auditores, si ipse frigeat, & non in ardescat. Ut autem facilius in se ipso ardores istos exciter, duo adjuvabunt. Primum, viva imaginatio rerum, de quibus agit, quâ se illis, & illas sibi intwendas sistit. Secundum, ipsa dicendi ratio, si nempe personam, V. G. Magdalenæ, Christum quærentis; vel Davidis lapsum suum dolentis induat, illius voces, suspiria, querelas, lachrimas imitetur, verbisque ac gestu exprimere conetur. Sic enim facilius sese, dein & alios commovebit.

4^o. Cum affectuum genus duplex sit, Lene, quod amorem, benevolentiam, dolorem, commiserationem aliisque moliores animi motus complectitur, & Vehemens, quod audaciam, iram, desperatio-

tionem, fugam, aliasque graviores commotiones continet; cavendum oratori erit, ne à vehementiori affectu incipiat, eumque longius producat; tūm ne vox nimium fatigetur, tūm, ne ardor animi, materiā deficiente, paulatim deficiat. Itaque à levibus & mollioribus ordiendum, ut sensim crescat affectus.

¶. Nosse etiam oportet indeolem, mores, inclinationesque eorum, qui movendi sunt. Aliis enim viri graves, aliis vulgus, aliis pueri, senesque moventur. Adolescens rebus jucundis, nobilis gloriā, mercator Lucro, miles prædā, plebs utilitato ducitur: & mortales passim omnes magis timore malorum, quam spe bonorum concitantur. Italos ac Germanos facilius utilitate, Gallos & Hispanos honore tenueris. Dabit igitur operam Orator, ut auditoribus orationem accommodet; iisque rebus, quibus maximè capiuntur, ad hos illösve affectus impellat.

Questio II. Potestne eadem res aut sententia per diversos affectus proponi & explicari?

¶. Potest, hoc vel simili modo:

E X E M P L U M.

Mater per varios affectus mortem filii in bello occisi deplorat.

AFFECTUS AMORIS. *Quis sit animus matris in liberos, quotus quisque intelligit? tum deinde ego amare filium didici, cum infelicissime in bello perdidi. O misera sors orbitatis meæ! ô spes fallaces! ô frustra susceptæ curæ! an idcirco genueram, fili, ut essem, quem tristi morte sublatum lugerem? ego cùm te for-*

formâ & atate florentem videbam, ego cùm te familiâ columen sinufovebam: mihi certam salutem tuam pollicabar. Putavi, speravi, credulam eventus fecellit. Nunc vehementissimè doleo, omnia ex spe & voluptate ad calamitatem & orbitatem excidisse. Itaque, fili, tuâ morte matris vitam abstulisti, ipsique vivæ flentique funus duxisti: neque enim te mortuo diu superstes esse possum.

D E S I D E R I L. Egote non requiram, nate? aut possim tui unquam oblivisci? aut aliquid à me præterspiria & lacrymashabebis? ipsæ, ipsæ dulces lacryma, ipsi fletus jucundi, quibus animi dolor & desiderium tui, nate, explebitur. O non amari dies, quibus charum filium animo & recordatione complectar, aspiciam, alloquar, osculabor! ô non flebiles noctes, quæ nullius aut modici somni socium & comitem non importunum referetis.

O D I L. Quantum, quāmque immane monstrum est bellum? apud quos conceptum dicemus! vah portentum! vah labes! vah gorges & charybdis infensa! quot hominum sanguinem gustasti, vel potius excorbiisti? quot tu fortes viros, robur patriæ; quot claros juvenes, florem nobilitatis; quot adultos jam liberos, spem ac delicias familiarum, quos ad fortunam vita servabat, crudelissimè contrucidasti? Nunquam ego immanitatem tuam tacebo, quam in ipsam me parentem ac meum filium adhibuisti: nunquam imprecari tibi, & exprobare, & persequi te desinam.

F U G Æ. Perhorrescite, matres, detestata jam pri-dem bella: has voragini scopulosque filiorum nostrorum fugite. Nulla jam tot annis jactura & clades existit, nisi bello: nulla vis, nulla fax, nullum flagitium, nulla cædes sine bello. Procul bellum è finibus nostris sit in Turcas & Barbaros! Bellum omnis matrona fugit oculis, respuit animo, recordatione perhorrescit. **I R Æ**

IRÆ. Cernitis percussorem filii; an sola mater vi-
deo? non videris furorem hostium? non repentinum im-
petum? non versatur ante oculos vobis in cæde nefarius
miles? non adest barbarus? non suis manibus intentat
ensem? non filii jugulum præcidit? Perditissimè mor-
talium, quid te sceleratus? istam ego furiam exagita-
bo: non repetam sanguinem filii? non vindicem Deum
appellabo?

TRISTITIÆ. Adestis amici? verùm quo tan-
dem animo adestis? utrum ego amens sum, & plusquam
satis est, doleo in tanta calamitate & morte filii? an vos
quoque hic obitus & mœror pari sensu doloris afficit?
nam si non ad amicos, si non ad homines, verùm ad be-
stias, aut etiam, ut longius progrediar, si in aliqua
desertissima solitudine ad saxa & scopulos hæc conqueri
ac deplorare vellem; tamen omnia muta atque in anima
tam crudeli morte filii moverentur: nunc vero pietatem
vestram & amicitiam obtestor, non vereor, ne non misera-
recordiam tribuatis aliquam fortissimo juveni in etatis
flore, pro patria & Catholica fide perempto.

SPI. Etsi omnis spes mea, fili, cum salute tua
occubuit, erigo me nonnunquam, & futura prospicio,
quasi fortunata sit mors tua. Communicabo, ni fallor, cum
gloria tua veniam in partem meritorum, triumphat ma-
ter de morte filii: negat enim patria pro qua fortiter occi-
disti, negat se ingratam esse, negat superstitem matrem
carere propositis honoribus debere. Hæc me spes alit,
& excitat: vives in gloriosa matre filius: quid perdidierim
non reputabo; quid morte tua acquisierim, id astimabo.

AUDACIÆ. Ego te mortuum cum mea salute
complexor, fili, nec me solam tuæ mortis commiseran-
tem, sed comitem habebis. Utinam hoc pectus gladiis
objicere, & adversa, fili, tua vulnera recipere potuis-
sem!

sem! nullam ego acerbitatem, nullam impressionem, nullam vim pertinuisse, ut te manibus armatorum hostium eripuisse, sed nunc mori non refugio, lacesto mortem, & provoco, ut properet, ut nos ocyus uno eodemque tumulo conjungat.

DESPERATIONIS. Actum est: periit: nequidquam homines, superosque implorem: mors immansueta mitigari non potuit, nec jam precibus infernus recludetur: neque ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi opis expectabo. Omnia sunt in hoc funere misera. Quid mihi restat, nisi solitudo, aut mortis consilium, aut vita morte acerbior?

TIMORIS. Vos testor, cælites, ego equidem bellorum rabiem ac furorem in istis armorum motibus semper filio putavi esse fugiendum: Signa & tubæ, pulsataque tympana præsagienti matris semper metum atque horrorem attulerunt. Tum si quis, è commilitonibus filii, in pugna audiebatur cæsus esse, augebatur metus mali appropinquantis: quare animus cum languore corporis ac timore debilitatus incidit in varia visa & incerta, quorum perturbatione tristes sœpè extitarunt species somniorum, quæ flebilem illam mortem portenderunt.

GAUDII. Quid! ego lugeam illum, qui se defeli ritat? vivit filius inter cælites, & qui extremum spiritum in victoria effudit, heroum est sedem & locum consecutus. O fortunata mors! ô felicem & beatum diem! quem mibi, & patriæ, & filio natalem Superi esse voluerunt! itaque, quod ne optandum quidem est homini, immortalitatem quamdam per te & tecum, fili, videor adepta. Ducyg.



RHETORICA CYPRIANI SOARII EXEMPLIS ILLUSTRATA. LIBER II.

DE DISPOSITIONE.

Aicerum Oratoris munus est, Argumenta à Locis Rheticis eruta, rēsque cæteras inventas disponere, atque in ordinem redigere. Sicut enim belli Imperatoris virtus non tam in diligendis ad bellum militibus, quām in instruenda ac disponenda ad pugnandum acie cernitur; sic orator, nisi delecta argumenta rectè disposuerit; ipsiusque orationis partes certo ordine definierit, pugnabit quidem multūm, sed triumphum de animis auditorum non reportabit.

Dispositio itaque est rationum ad probandum & movendum inventarum in ordinem facta distributio. Id verò sit per Argumentationem; de quā prius agendum erit, quām ad orationem ipsam ejusque partes transeamus.

CAPUT I.

DE

ARGUMENTATIONE.

ALIA Philosophorum, alia Oratorum est propria Argumentatio.

Oratoria Argumentatio est apta & exquisito cum artificio facta propositionum, ex quibus argumentum constat, dispositio, unde legitima inferatur conclusio.

Argumentationum species apud Oratores octo sunt: Syllogismus, Ratiocinatio perfecta, Enthymema, Inductio, Exemplum, Epicherema, Sorites & Dilemma. De his sit

ARTICULUS I.

DE

SYLLOGISMO

ET

RATIOCINATIONE PERFECTA.

Questio 1. Quid Syllogismus & quomodo a Rhetore tractatur?

R. Syllogismus est argumentatio tribus constans propositionibus; quarum ultima infertur ex duabus primis. *Ut, omne vitium est fugiendum,*
Atqui pigritia est vitium,
Igitur pigritia est fugienda.

Prima

Prima ex istis propositionibus dicitur *Major*, altera, *Minor*, 3^{ta} *Conclusio seu Complexio*. Aliter, prima simpliciter dicitur *Propositio*, altera, *Assumptio*, 3^{ta} *Complexio*.

Item, duæ priores vocantur *Antecedens*, 3^{ta} *Consequens*.

Longè aliter Orator quam Philosophus tractat syllogismum: cum enim hic probare intendat; ille verò & probare, & probando placere ac movere satagit; Mirum non est, quod Philosophus suas propositiones certo semper ordine, & sine artificio exquisito nudas simplicesque proponat.

Orator è contrario suam in collocandis, amplificandis atque exornandis propositionibus industriam ita ponat, ut artem dissimulet. Utriusque discrimen in exemplo patebit:

EXEMPLUM

Sit demonstrandum, (si alia desint) ex meritis conjecturis, quod Æmilius propinquum suum Lepidum interfecerit, ut hæreditatem ejus occuparet.

Philosophus ita argumentabitur: *Ille credendus est occidisse propinquum suum divitem, qui pauper erat, & hominis divitis hæres futurus: Atqui talis erat Lepidus, ergo Lepidus credendus est occidisse propinquum suum divitem*

Orator artem dissimulans hunc in modum procedet:

Inhiabat Lepidus, instar famelici vulturis, amplissimæ hæreditati divitis propinqui sui Æmili, eamque jam spe devorat homo ritâ profigatissimus, &

52 LIBER II.

ad audiendum projectus. Accedebat ad singularem audaciam inventrix omnium scelerum egestas. Urgebatur à creditoribus Lepidus, jāmque carcer & compedes misero ostentabantur. Quò se verteret tanto in discrimine & quid exspectandum ab homine ita comparato, nisi ut squalorem carceris atque inextricabiles difficultates uno aliquo facili facinore redimeret & clam scilicet occidendo eum, qui, si longius viveret, vitam ipsi omni morte durlorem facturus erat. Ausus itaque est facinus abominandum Lepidus, ac propinquuo suo mortem intulit. Lejäy.

Questio 2. Quid Ratiocinatio perfecta?
R. Est Syllogismus cum suis probationibus, quando scilicet & Majori & Minoris sua additur probatio. Unde ratiocinatio perfecta constat quinque propositionibus.

EXEMPLUM.

Ut probes, pigritiam esse fugiendam, sic ratiocinare:

Major. Omne vitium est fugiendum.

Probatio majoris. Quia omne vitium turpe est & perniciosum;

Minor. Atqui pigritia est vitium,

Probatio Min. Quia rationi adversatur & innumeram creat damna,

Complexio. Igitur pigritia fugienda est.

Questio 3. Quodnam est artificium oratorium tractandæ Ratiocinationis perfectæ?

R. 1. Debet Orator attendere, quid sibi probandum incumbat. Deinde rationes quærendæ sunt ad id probandum idoneæ. Tum Rationes illas

revo-

revocare oportet ad Argumentum Philosophicum.
Denique Argumentum Philosophicum oratorio modo tractari debet.

Modus autem oratorius non tantum in eo consistit, quod duabus prioribus propositionibus Argumenti Philosophici, *Majori* nimirum & *Minori* sua probatio adjungatur, quo fiat argumentatio, quinque pertita & perfecta, sed etiam ut rhetorice omnia tractentur. E. G. Per Ratiocinationem perfectam rhetorice tractanda sit hæc propositio : *Vitæ innocentia omni studio querenda est*, primò Rationes quære ad id probandum, easque reduc ad Argumentum Philosophicum, &

Exemplum sic stabit.

Major. Quod facit hominem amicum Deo, omni studio quærendum est.

Probat. Maj. Nam Amicus Dei omnia facilè dona à Deo accipit.

Minor. Sed vitæ innocentia hominem Deo facit amicum.

Prob. Min. Quia homo per illam Deo redditur similis.

Complexio : Ergo vitæ innocentia omni studio quærenda est.

Ita ferè Philosophus.

Secundò. Orator singulas Argumenti Philosophici Propositiones rhetorice deducit, amplificat & ornat, totumque syllogismi artificium occultat, hunc ferè in modum :

EXEMPLUM

Ratiocinationis perfectæ

MAJOR SYLLOGISMI

Quod facit hominem amicūm Deo, omni studio quærendum est.

Si communis amicitiæ ratio illud in hominum animis pondus ac momentum habet, ut nihil huic præponendum mortales existimant, quis erit tam parum æquus rerum æstimator, qui sibi longè posteriori jure, ardenterique studio, quæ Deum inter & hominem intercedit, amicitiam colendam non reputet atque retinendam?

PROBATIO MAJORIS. Nam amicus Dei omnia facile dona ab eo accipit.

Etenim cum utilitatis rationibus maximè ducantur homines, quid est in vita humana boni, quod ut inde acceptum, ita etiam huc referri non debeat? si enim vitam desideres? & ipse Deus mortalibus omnibus hanc impertiit: si honores? ipse gloriæ omnis justissimus est & æstimator & dispensator: si voluptates? futilis sunt & noxiæ, quæcunque ab eo non diminant: si divitias? in eo tantæ sunt, ut cumulatissimè hominis quantumvis avidi cupiditatem expiere possit.

MINOR SYLLOGISMI, sed vita innocentia facit amicum Dei.

Atque inde arbitror satis intelligitis, quæ sit divinæ vis amicitiæ, quam qui negligat, næ ille non impius modò, sed etiam stupidus & amens haberi posset. Quod si ita est, quâ tandem ope & cuius rei beneficio bonum illud infinitum consequemur? an superbiâ fortasse? an vita molli? an divitiatum

jactan?

jaetantia? nequaquam. Vitæ puritas & innocentia hujus est felicitatis conciliatrix, hujus est conjunctionis vinculum & amicitiae nexus.

PROBATIO MINORIS. Quia homo vita innocentia fit Deo similis.

Neque enim fieri ullo modo potest, quin infinito quodam amore Deus Optimus Maximus prosequatur eum, quem sui simillimum viderit. Et verò quæ major cum natura Divina singi similitudo potest, quam si quis ipsius Sanctitatem, morum innocentiam emuletur & quantum mortali fas est, in se quasi repræsentet? Etenim Divina mens incorrupta est & ab omni terrenæ concretionis contagione remotissima; uti etiam ab omnibus corporeæ voluptatis sordibus vitæ puritas atque innocentia abstrahit.

CONCLUSIO. Ergo vita innocentia omni studio querenda est.

Quis ergo jam de salute sua sit parum adeò sollicitus, & inimicus Puritatis & innocentiae, ut hanc non summo quodam amore studiisque prosequatur?

Lejay. Ex hoc Exemplo animadverte, quomodo ratiocinatio imperfecta, id est, syllogismus tractari possit: omissis scilicet Majoris aut Minoris probationibus, si necessariæ non sint.

. E X E M P L U M R A T I O C I N A T I O N I S P E R F E C T Æ.

Cicero ex L. I. de Inventione, ubi probat, Epaminondam Thebanorum Ducem in leges non peccasse, opprimendo lacedæmonios.

M A J O R. Qui leges interpretatur ex utilitate reip., non peccat in leges.

Omnis leges, iudices, ad commodum reip. referri oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptio-ne, qua in literis est, interpretari.

M A J O R I S P R O B A T I O. Quia leges ad utilitatem reip. conditae sunt.

Eâ enim virtute & sapientia maiores nostri furent, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, quam salutem atque utilitatem reip. proponerent: neque enim ipsis quod obesset, scribere volebant: & si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causâ salvias esse vult, sed reip., quod ex legibus omnes respublicas optimè pugnant administrari.

M I N O R seu A S S U M P T I O. Ergo in hoc quoque iudicio desinite literas legis perscrutari: & legem, ut equum est, ex utilitate reip. considerate, quod Epaminondas fecit.

M I N O R I S P R O B A T I O. Quid enim magis urile Thebanis fuit, quam Lacedemonios opprimi? quid magis Epaminondam, Thebanorum Imperatorem, quam Victoriae Thebanorum consulere decuit? quid hunc tantâ Thebanorum gloriâ, tam claro atque exornato trophæo clarius atque antiquius habere convenit? scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. Sumnam igitur amentiam existimabat, quod scriptum esset reip. causâ, id non ex reip. causa interpretari.

C O M P L E X I O. Quod si leges omnes ad utilitatem reip. referri convenit, Epaminondas autem reip. profuit, profectò non potest eodem facto & communib[us] fortunis consuluisse, & legibus non obtemperasse.

ALIUD

R H E T O R I C A E 57
A L I U D E X E M P L U M .
R A T I O C I N A T I O N I S
P e r f e c t æ ex Cicerone.

P r o L e g e M a n i l i a .

P o m p e j u s e s t d e l i g e n d u s b e l l i I m p e r a t o r .

M A J O R .

I n d e l i g e n d o I m p e r a t o r e , n o n t a n t û m v i r t u t i s
b e l l i c æ , s e d e t i a m f e l i c i t a t i s h a b e n d a r a t i o e s t .

E g o s i c e x i s t i m o , M a x i m o , M a r c e l l o , S c i p i o n i ,
M a r i o & c a t e r i s m a g n i s I m p e r a t o r i b u s n o n s o l û m p r o -
p t e r v i r t u t e m , s e d e t i a m p r o p t e r f o r t u n a m s e p i u s i m -
p e r i a m a n d a t a , a t q u e e x e r c i u s f u i s s e c o m i s s o s .

P R O B A T I O M A J O R I S

Q u i a s u m m i s v i r i s a d m a g n a s r e s b e n e a g e n d a s
d i v i n i t u s a d j u n c t a e s t f o r t u n a .

F u i t e n i m p r o f e c t ò q u i b u s d a m s u m m i s v i r i s q u ë d a m
a d a m p l i t u d i n e m & g l o r i a m , & a d r e s m a g n a s b e n e
g e r e n d a s d i v i n i t u s a d j u n c t a f o r t u n a .

M I N O R . A t q u i

P o m p e j u s f u i t s e m p e r f e l i x .

D e h u j u s a u t e m h o m i n i s f e l i c i t a t e , q u à d e n u n c
a g i m u s , h à c u t a r r a t i o n e d i c e n d i , n o n u t i n i l l i u s p o -
r e s t a t e f o r t u n a m p o s i t a m e s s e d i c a m , s e d u t p r è t e r i t a
m e m i n i s s e , r e l i q u a s p e r a r e v i d e a m u r ; n e a u t i n v i s a
D i i s i m m o r t a l i b u s o r a t i o n o f f r a a u t i n g r a t a e s s e v i -
d e a t u r .

P R O B A T I O M I N O R I S .

Q u i a m a g n a s r e s d o m i m i l i t i æ q u e , t e r r à m a r i -
q u e f e l i c i t e r g e s s i t .

I t a q u e n o n s u m p r è d i c a t u r u s , Q u o r i t e s ! q u a n t a s
i l l e r e s d o m i m i l i t i æ q u e , t e r r a m a r i q u e , q u a n t à q u e
f e l i c i t a t e g e s s e r i t : u t e j u s s e m p e r v o l u n t a t i b u s n o n m o d ò

cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à Diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dii immortales ad Cneium Pompeium detulerunt. Quod ut illi proprium sit ac perpetuum, Quirites! cum communis salutis atque imperii, tum hominis ipsius causâ, sicut facitis, velle & optare debetis.

CONCLUSIO

Igitur Pompejus diligendus est Imperator.

Quare cum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissime sit administrandum; & cum ei Imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quirites! quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum & datum est, in remp. conservandam atque amplificandam conferatis?

Simili Ratiocinatione perfecta probat Cicero oratione pro Milone, licuisse Miloni, occidere Clodium.

ARTICULUS II.

DE

ENTHYMEMATE.

Uestio 1. Quid Enthymema?

Ques. Est imperfectus syllogismus, vel, ut alii definiunt, est syllogismi pars: cum enim syllogismus tribus constet propositionibus, quarum prima dicitur Major, altera Minor, si hanc aut illam omittas, Enthymema fiet.

ut,

ut, omnis ars est expetenda, igitur Eloquen-
tia est expetenda. Vel : Eloquentia est ars, igi-
tur expetenda est Utrumque hoc Enthymema
pars est sequentis syllogismi :

Major. *Omnis ars est expetenda,*

Minor. *Atqui Eloquentia est ars,*

Conclusio. *Ergo Eloquentia est expetenda.*

Frequenter utuntur Oratores Enthymemate, quam
syllogismo ; unde Aristoteles Enthymema syllo-
gismum oratorium vocat. Ratio est, quod vel
prima vel secunda syllogismi propositio saepe ita
nota sit, ut probatione non egeat.

Cicero orat. pro Muræna probat Enthymemate,
à nemine æquiùs defendi Murænam quam à Cicer.

*A quo tandem Marce Cato ! est aequus Consu-
lem defendi, quam à consule ? quis mihi in republica
potest aut debet esse conjunctior, quam is, cui res-
ponde me una traditur sustinenda, magnis meis laboribus
sustentata ?*

Philosophus sic argumentaretur :

Muræna Consul est, ergo aequum est, eum à
me Consule defendi.

Vel : Aequum est, Murænam à me, qui Con-
sul sum, defendi.

Questio 2. Quomodo tractatur oratorium
Enthymema?

B. Sit oratoriè deducendum hoc Enthymema ;
inutile est, persequi & necare Christianos, ergo ab
eorum cæde abstinentum est.

Primo, Eleganti periodo propone hanc senten-
tiam, inutile est persequi & necare Christianos.

Deinde sententiam Argumentis proba, confirma,
& amplifica.

De-

Denique conclude, à cæde Christianorum abstinendum esse.

Exemplum Oratoris Ethnici.

QUAMVIS in Christianam gentem gravissimo mēmet odio sentiam extimulari, nullique rei parcitum velim, ut vel ipsa, si fieri possit, Christiani nominis recordatio penitus extinguatur. *Propositio.* Longā tamen doctus experientiā consuliūs nos esse acturos arbitror, si à cruentā Christianorum cæde tandem aliquando abstineamus. *Confirmatio.* Nam quid agimus? aut quid efficimus? dum nova quotidie supplicia ad extirpandam illam pessimam nationem excogitamus? revocemus in memoriam longissimi spatium temporis, quo cum Christianis bellum exercemus: multa eorum milia vario tormentorum genere sublata sunt, parentes in liberos, mariti in uxores suas crudeles extiterunt: vidimus vicos ac plateas Christianorum sanguine manantes. Timuimus non semel, ne inseptitorum cadaverum acervi fætoribus suis luctuosam pestem huic urbi afflarent: suam tortores ipsi industriam exhauserunt; nec invenire ea tormentorum monstra potuerunt, quibus Christianorum animi percellerentur. Quid verò in hanc usque diem sèviendo promovimus? etiam furoribus nostris illudunt. Diceres feralem Hydram, quæ acceptis vulneribus augetur & crescit: è profuso eorum sanguine in horas singulas novi Christiani pululare videntur. *Conclusio.* Cesset igitur carnificina nostra, quam sine fructu hactenus exercuimus: & qui nec blanditiis, nec suppliciis ad frugem revocari possunt,

R H E T O R I C A E 61
possunt, suo infelici genio permittantur. Lejay.

ARTICULUS III.

DE INDUCTIONE.

Quid est Inductio?

R. Inductio est argumentatio, quæ ex pluribus collationibus pervenit, quò vult: sive est coacervatio multorum similium aut exemplorum ad aliquid concludendum.

ut; quis optimus arborum fructus? qui dulcissimus: quæ gemma cæteris præstantior? fulgidissima: quæ facies omnium pulcherrima? illa, in qua colorum vivacitas & lineamenta omnia decoro ordine consentiunt; est igitur prudentia virtutum omnium præstantissima, cuius & fructus dulcissimus & fulgor eximius & ordo perfectus.

Egregia est illa Tertulliani, ad probandam corporum resurrectionem, inductio:

Lux quotidie imperfecta resplendet, & tenebra parē vice deceundo succedunt: sydera defuncta vivescunt; tempora ubi finiuntur, incipiunt: fructus consumuntur & redeunt: semina non nisi corrupta & dissoluta facundiūs surgunt: omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur, quis igitur insiciabitur, mortuorum corpora posse resurgere?

Cicero Orat pro Cornelio Balbo, utitur hac inductione exemplorum. Hic tu Cnei Pompei beneficium, seu potius judicium & factum infirmare conaris; qui fecit, quod C. Marium fecisse audierat & fecit, quod P. Crassum, quod Cajum Syllam, quod Quintum Metellum, quod denique domesticum authorem, Patrem suum facere viderat. Et

Et Paradox. I. Quibus gradibus Romulus ascendit in Cælum & quibus Numa Pompilius? quæ res ad necem Porsennaæ Mutium impulit? quæ res Horatium Coelitem? &c. ut sup.

Meritò laudatur inductio, quâ S. Augustinus invehitur in hominem improbum.

Terram malam non vis; segetem malam non vis; bonam arborem vis, equum bonum, servum bonum, filium bonum, vestem bonam: solam animam vis habere malam. Quid te offendisti? aut quid tantum de te male meruisti?

ALIUD EXEMPLUM

Honesta animi Relaxatio non
respuenda.

Per Inductionem similium.

Ignoratis igitur, quod ipsa nostris quotidie occulis natura subjecit? Attendite, quam uberrimi etiam, & soli pinguoris agri culturam patientur; An non, nisi quiescere illos identidem siveris, arescant continuò & sua Dominum expectatione destituant? quid in artefactis prætitissimus rerum Magister usus atque experientia commonent? Arcus si tenditur semper, illum frangi videoas, aut certè multum enervari. Duriora marmora crebriore frictu minuuntur; res quælibet assiduo nimis usu teritur ac deperit, & hanc putatis esse solius animi conditionem, ut nullis debilitetur exercitationibus? ut repetitis quantumlibet laboribus succumbat nunquam aut vincatur?

Per

Per Inductionem Exemplorum.

Non ita sentiebant viri ætatum omnium iudicio sapientissimi ; non Crassi , non Lepidi, non Catulli, non Scipiones , non Lælii , quos honestâ interdum oblectatione relaxasse animum legitimus ; imò si quid Tullio creditur , discinctos fuisse non-nunquam , & positâ ad tempus , quæ Magistratus decet , gravitate , pene dixerim , puerorum instar , per Brutorum hortos discursasse. *Lejay.*

ARTICULUS IV.

V DE
EXEMPLO
ET
EPICHEREMATE.

Questio 1. Quid est Exemplum ?
R. Est induc̄io imperfecta , quâ ab uno tantum simili facto argumentamur ad aliud. V. G. Horatius non fuit condemnatus , quod sororem necaverit , ergo nec Milo condemnandus , quod Clodium occiderit.

Cicero pro Milone. *Negant intueri lucem fas esse , qui ab se hominem esse occisum fateatur &c.*

Vide superiùs dicta de Comparatione.

Questio 2. Quid est Epicherema ?
R. Est brevis ratiocinatio , cuius omnes partes in unam conferuntur : sive est argumentatio brevissima , totum Syllogismum aut Enthymema com-

complectens. Ut, sine causa Servus Dominum accuset: Continet brevissima hæc Argumentatio totum hunc Syllogismum:

Non debet Servus sine causa accusare Dominum, atqui tu Servus illius es, ergo illum non debes sine causa accusare.

Aliud. Post tot tantaque peccata Cælum te sine pœnitentia ingressurum putas?

Ratiocinatio hæc totum enthymema complectitur: videlicet, nullus peccator sine pœnitentia Cælum ingreditur, igitur nec tu sine pœnitentia ingredieris.

ARTICULUS V.

Quid est Sorites?

R. Est Argumentatio quædam generalis, multas particulares acervatim complectens; ideoque à Cicerone Acervalis appellatur, ut, Africano virtutem industria peperit; virtus gloriam, gloria emulos comparavit; igitur industria Africano emulos comparavit.

Cicero Tuscul. quæst. Quidquid est, quod bonum sit, id experendum est; quod autem experendum, id certè approbandum; quod autem approbandum, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda est: quod si ita est, laudabile sit necesse est, bonum igitur omne laudabile.

Est autem Sorites dolosum argumentandi genus, in quo præcipue cavendum, ne ex dubiis incertisque propositionibus certa formetur conclusio. Ut; Bibliopola multos evolvit Libros, qui multos evolvit Libros, multum studet, qui multum studet, fit doctus, ergo Bibliopola fit doctus.

Falsa

Falsa est isthæc conclusio ; quod vox, evolvere, ambiguum patitur significationem ; nimirum vel attentè legere , vel manibus tantum versare ; hoc, non illud convenit Bibliopolæ.

Priori similis est vulgaris illa argumentatio ; qui bene bibit, bene dormit ; qui bene dormit, non peccat, igitur qui bene bibit, non peccat.

Valet plurimūm Sorites in Epilogo Orationis, cùm rebus antea probatis, in unam velut catenam multæ argumentationes coacervantur.

E X E M P L U M.

Quo probatur, vestigalia in æratium Regis inferenda esse. *Quis dubitet Viros Principes, in sua Regia, tanquam in altissima specula collocatos esse, ut inde provideant, ne quid Resp. detrimenti capiat e quale verò detrimentum acciperet, si pateret hostium incursionibus? si in provinciis atque urbibus, in penatibus ac sociis barbarorum arma grāssarentur? Ad exitialem illam calamitatem eritandam bella identidem cum irrumpentibus hostium copiis sustinenda sunt. Bellum ut geri possit, conscribenda sunt cohortes, omnibus præsidii Legiones instruenda. Quis autem coget milites & conscribet exercitum sine stipendiis? Ad hac autem militibus numeranda opus est ærario locupletissimo. Quapropter ex omnibus Regni Provinciis necesse est in æratium Regium vestigalia deportari. Lejay.*

ARTICULUS VI.

DE

DILEMMATE.

Quid est Dilemma?

q. Est Ratiocinatio imperfetta, quæ ducitur

tur à duabus partibus contrariis, quarum utramlibet concedat adversarius, reprehenditur.

Cicero Patriam cum Catilina sic argumentantem inducit; quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus; ne opprimar: si falsus, ut tandem aliquando timere desinam.

Pro Quinctio. Restat ut summa tibi negligentia obſtiterit, aut unica liberalitas: si negligentiam dices, mirabimur: si liberalitatem; ridebimus.

Philip. 4. Legatos decernitis? si ut deprecentur, contemnet Antonius: si, ut imperetis; non audiet.

In Verrem. Utrum tibi Siculos publicè privatimque amicos, an inimicos existimari vis? si inimicos? quid te futurum est? quod confugies? dices tibi esse amicos? qui poteris? huc veniunt cum literis, veniunt cum testimoniosis publicis &c.

Dicitur itaque Dilemma, quod ita utrumque premit, ut ex alterutra parte capiat adversarium. Unde Cornatus etiam Syllogismus solet vocari. V. G. Vel pius es, vel impius? Si pius, Deum time: si impius, magis time.

Item, Si Christiani estis, cur Legibus Christi non paretis? si non estis, cur nomen Christiani usurpatis?

Qua ratione Dilemma hoc postremum (idem de aliis iudicium esto) oratoriè dilatari atque exornari possit, docetur sequenti exemplo.

Quoniam deplorando temporum nostrorum fato fieri dicam, ut, cum Majores nostri Christianæ Religionis institutum tam sedulò, tamque severè coluerint, sic ab eorum virtute & sacrâ velut hæreditate nepotes defecisse videantur, nihil ut præter vacuum & inane duntaxat Christiani nomen, mendacemque Religionis barbam retineant?

Agit

Agite, degeneres animæ ! quo ego vos nomine jam appellam, in quibus nulla avita pietatis vestigia video? statuite tandem ipsi, quales velitis esse, quales appellari.

Dilemma. Christiani estis, an non ? responsum date :

Audio communem omnium vocem, Christiani sumus : id ipsum piacularibus Sacri Lavacri fontibus abluti professi sumus, hoc gloriamur nomine ; Christianorum Sacra menta usurpamus.

Cur igitur nomen tam sanctum flagitius polluistis ? cur alienam à vita Christi vitam vivitis ? cur præceptis illius ac legibus rebelles usque ac contumacos, hanc ipsam, quam videmini profiteri, doctrinam abjicitis ? Christus voluptates dannavit, vos consectamini : Christus opibus maledixit, vos inhiatis : Christus honores contenus sit, vos omni studio ac labore, per fas ac nefas aucupamini :

Faceisse mendacissimi hominum ! Larvati Christiani facebit ! parcite speciosum illud nomen jactare ambitiosius : non est christianum nomen possum in verbis, sed in factis : non capiunt sordes vestra fætidasque animi tantum nomen, tam cœleste, tam divinum.

Ite, ite ad Mahumetanos, turpissimos illos fœdisimorum voluptatum cultores : religionem eorum amplectimini, quorum mores imitari vos non piget.

Sed quid ego hac ? ah ! potius si qua vos salutis vestra remordet cura, si quis Christianæ religionis amor tangit, recipite vos ad meliorem frugem, & Christiani nomen, quod usurpare placet, omnibus christiane virtutis officiis decorate.

Lejay.

E 2

ARTI-

ARTICULUS VII.

Quomodo Argumentationes oratoriae tractandæ sint.

Cum ad levandum tedium, tum ad prolixitas tem fugiendam in argumentationibus, observanda veniunt sequentia:

Primo. Diligentissime est curandum, ne Syllogismorum & Enthymematum turbâ conferta oratio sit: cum oratoriae actiones à dialecticis disputationibus quam longissimè abesse debeant. Locuples enim & speciosa vult esse Eloquentia; quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis & crebris, Dialecticorum more, constituerit.

Secondo Adhibetur in argumentando varietas, & iucunda quedam distinctio; figurisq; verborum diversis & ornamentis sententiarum expoliatur Argumentatio. Hæc enim exornationis diversitas facit, ut eadē argumentationis forma interdum altera videatur.

Tertiò. Si Argumenta & rationes multæ adhibendæ sunt, non eodem, sed diverso argumentandi genere pertractari debent. V.G. Si ad primum argumentum amplificandum & ornandum adhibita sit ratiocinatio, secundo deserbit Enthymema; tertio Epicherema, 4to Dilemmata, Inductiones, Exempla &c.

Quarto. Propositiones ipsæ Argumentationis sic immutari possunt, ut, si in primo arguento, propositio *Major* posita primo loco fuerit, in altero *Minor* priore loco ponatur, & vicissim: Non nunquam etiam à conclusione ducatur argumentandi initium. Sed hæc omnia melius deprehendi atque observari non possunt, quam ex attenta assidueque Lectione Ciceronis.

CAPUT II.

DE

TRIPLICI ORATIO- NUM GENERE, STYLO- QUE IN IIS TRIPLOCI.

O Ratio, quæ supremum quasi culmen est Humaniorum Literarum, definiri potest, quod sit sermo aptus ad persuadendum, illustri ac potenti methodo: neque enim ab Oratore requiritur, ut revera semper persuadeat, cum voluntatem judicium atque audientium in sua potestate arbitrioque non habeat; officium tamen ejus est, semper aptè dicere ad perluadendum. Tria autem sunt dicendi genera, unde & triplex orationum genus desumitur: primum, quod ad laudem reprehensione instituitur, alterum, quo de rebus faciendis aut omittendis consultatur, tertium spectat absolutionem a damnationem accusati.

Primum dicitur, Demonstrativum; alterum, Deliberativum; tertium, Judiciale. Tribus Articulis ista tractabuntur, 4tus de triplici Stylo subjungetur.

ARTICULUS I.

DE

ORATIONIBUS.

Generis Demonstrativi,

seu Exornativi.

Questio 1. Quid est Oratio Generis Demonstrativi?

E 3

B. Quæ-

R.
Quæcunque oratio ad laudem aut vituperium
refertur, Generis Demonstrativi est. Unde perspi-
cum sit, latum ac spatiosum esse hoc genus, quod
non solum ad homines laudandos ac reprehenden-
dos, sed etiam animalia, urbes, aliaque animo ca-
gentia adhibetur.

*Homines laudantur à Patria, Viris Illustribus,
Felicitate situque celebratā, A Parentibus & Ma-
joribus, eorumque virtutibus & factis. A be-
atis externis, ut sunt opes, Nobilitas generis, Ho-
nor, Potentia, Gratia Magnorum.*

*A bonis corporis, qualia sunt Decor vultus &
forma, quod sit virtutis signum, Vires, Valetu-
do, Agilitas &c.*

*A bonis animæ, scilicet Ingenio, Scientiâ, Ar-
tibus, Religione in Deum, Pietate in Parentes,
Fide in rebus credendis, Sapientiâ, Justitiâ, aliisque
virtutibus.*

*Urbium Laus defumitur à Conditoribus, Vetu-
state, Formâ Reip., Artibus, Opibus, Viris Illu-
stribus & eorum gestis, à Situ & Mumentis &c.*

*Laus Agrorum ab Amoenitate Loci, Ubertate
Frugum, Culturâ, Cæli Clementiâ, Prædiis, & sic
de cæteris, quorum Laudes è Locis Reticis
eruendæ sunt.*

*In vituperando servanda sunt contraria omnia
iis, quæ de laude dicta sunt.*

Questio 2. Quænam sunt principiæ Orationes
Generis demonstrativi?

R.
Sequentes: *Eucharistica, quæ pro beneficiis
gratiæ aguntur; Gratulatoria, quæ fit de rebus
benegestis, superatis hostibus &c. Genethliaca,*
quæ

quā hominum natales celebrantur : *Nuptialis*, Quæ in nuptiis, funebris, quæ in exequiis habetur: *Prophætia*, quæ de adventu alicujus plauditur: *Panegyrica*, quæ alterius laudi dicata est: *Invectiva*, quæ cuiusdēm vitia perstringuntur.

Questio 3. Quæ materia in prædictis orationibus tractanda est? &c.

In *Eucharistica* extollit Orator. 1. beneficij magnitudinem & præstantiam. 2. Considerat personæ dantis benevolentiam, dignitatem, liberalem animum aliisque dotes; è contratio personæ accipientis indigentiam, exigua merita &c. 3. Modum, quæ præstitum fuit beneficium, hilari vultu, sponte & sine precibus, tempore & loco, quo non sperabatur &c.

In *Gratulatoria* afferuntur variae causæ gratulandi, vel de victoria obtentâ, vel periculis superatis, vel dignitatis gradu &c. Eæque causæ pendæ sunt à boni obtenti excellentia variisque adjunctis loci, temporis, utilitatis in Remp., Patriam, Familiam redundantis; vel à persona ipsa gratulantis &c.

In *Genethliaca* considerantur præsigia, si qua fuerint: Annus, dies, hora nativitatis: Nomen infantis & conceptæ de eo spes futuræ felicitatis, virtutis, gloriæ. Allegantur Parentum merita, res gestæ, virtus aliisque ornamenta, quibus & infanti fausta omnia orator ominatur & precatur.

In *Nuptiali*. Agitur de comodis matrimonij, de similitudine sponsi & sponsæ quo ad genus, mores, indolem aliisque corporis & animæ dona; de contractâ affinitate cum magnis personis: ipsi

conjuges excitantur ad amorem mutuum & fidem
iisdemque orator bene precatur.

*In Funebri ostenditur communis dolor de obitu
defuncti : deploratur jactura, quam familia, urbs,
patria fecit : exornantur defuncti virtutes & præ-
claræ gestæ. Afferuntur solatia doloris Deo, & vivo-
rum precibus animæ commendatur.*

*In Prophænetica. Aguntur superis gratiæ de fe-
lici reditu aut adventu : Exaggerantur utilitates &
beneficia vel publica, vel privata, quæ ex reditu
sperantur ; adducuntur laudes illius, qui reddit ;
applauditur reduci, & ut diu præsentia ejus frui
liceat, vota superis nuncupantur &c.*

ARTICULUS II. DE ORATIONIBUS GENERIS DELIBERATIVI.

Questio 1. Quænam oratio dicitur generis de-
liberativi ? R. Qua aliquid suadetur vel dis-
suadetur. Suaderi autem potest, quidquid bone-
stum esse ostenditur, utile, necessarium, possibile, fa-
cile, jucundum. Ad dissuadendum valet, quod his
esse contrarium monstramus. Cicero de Oratore.

*Honestum dicitur, quod per se laudabile & pro-
pter se expetendum.*

*Utile, quod propter commodum expetitur: sive
adjunctam habeat honestatem ; ut, gloria, ho-
nor, dignitas ; sive non habeat ; ut opes, vale-
tudo &c.*

Neces-

Necessarium, sine quo salus aut dignitas stare non potest.

Fossile, quod fieri aut esse potest.

Facile, quod parvo negotio fieri aut obtineri potest.

Jucundum, quod honestam habet voluptatem.

Atque ab his eorumque contrariis petuntur argumenta in omni oratione suasoria aut dissuasoria, ut & in iis, quæ eò referuntur, ut sunt adhortatoria, consolatoria, aliæque ejusmodi.

Questio 2. Quæ potissimum in suadendo & dissuadendo spectanda sunt?

Res. Tria hæc: qui suadet; res, quæ suadetur, & apud quos suadetur ita Quint. L. 3. c. 8.

1^{mo} in eo, qui suadet, spectatur, virtus, sapientia, eloquentia, honestas; quæ si absuerint, suadere nihil aut parum efficiet.

2^{do} Res, quæ suadetur, esse debet vel honesta, vel utilis, vel jucunda &c.

3^{to} ii, quibus suadetur, vel sunt de indocto & agresti hominum genere, ac tunc ab utilitate potissimum suadendum erit: vel sunt homines politi & docti, qui honestate facilius ducuntur.

Vis autem exemplorum, ut Tullius ait, ad suadendum est maxima; aut recentiorum, quæ notiora sunt; aut veterum, quæ plus authoritatis habent.

Exemplum Ciceronis.

Philip. 7. ubi Pacem cum Antonio dissuadens ait:
Cur igitur Pacem nolo? quia turpis est, quia pernicioſa,

ciosa, quia esse non potest. Quæ tria dum explico, peto à vobis, patres conscripti! ut eādem benignitate, quâ soletis, verba mea audiatis. Deinde probat à turpi, à periculo, ab impossibili; ac concludit, pacem cum Antonio ineundam non esse.

ARTICULUS III. DE ORATIONIBUS GENERIS JUDICIALIS.

Cum genus judiciale orationum, quod in accusando vel defendendo versatur, hac ætate à foro ad curiam, & ab oratoribus ad juris consultos translatum sit, ac mutata propè omnis judiciorum ratio, vix quidquam de eo dicendum superest, præter quasdam certarum vocum huc pertinentium explanationes.

Questio 1. Quid apud Oratores vocatur status?
R. Illa quæstio, quæ ex prima causarum confictione nascitur. Ut, si Accusator dicat, Sylla conjuravit cum Catilina; defensor autem dicat, non conjuravit: ex hoc conflictu oritur hæc quæstio, an Sylla conjuraverit? quæ idcirco status appellatur, quod in eo tota causa stet & consistat.

Questio 2. Quot ejusmodi status in causis esse possunt?
R. Cicero in topicis admittit tres:
1. Quando queritur, an res sit nec ne, dicitur que-

que status conjecturalis; ut an Clodius Miloni sit insidiatus.

2. Quid sit res, & quo nomine appellanda? quem statum definitionis vocamus: ut, an fuerit Cæsar Rex, an Tyrannus?

3. Qualis sit res, & dicitur status qualitatis V. G. an cædes Clodii fuerit utilis & honesta.

Questio 3. Quid Ratio, Firmamentum, Judicatio?

R. Rationem appellant oratores eam, quæ assertur à reo, criminis depellendi causâ: Firmamentum, quod assertur ab accusatore, ad rationem labefactandam: Judicationem dicunt quæstionem jam dictam, quæ ex rationis & firmamenti confunditur, & in Judicium venit.

ARTICULUS IV.

DE TRIPLO STYLO IN TRIBUS ORATIONUM GENERIBUS.

Cum parva submissè, mediocria temperatè, magna graviter dicenda sint, ut ait Tullius, pauca de vario dictionis charactere, seu stylo dicenda sunt.

Questio 1. Quid est Stylus Oratorius, & quotuplex?

R. Stylus Oratorius est verborum ac sententiarum delectus, rei, oratori, & auditobus convenientis & accommodatus.

Et

Est autem triplex: primus dicitur *Stylus gravis*, *sublimis*, *vehemens*, *copiosus*. Alter *acutus*, *tenuis*, *subtilis*. Tertius *mediocris*, *floridus*, *temperatus*.

Questio 2. In quo situs est *stylus gravis*?

Bz. 1. In verbis sonantioribus & splendidis. Ita consonantius est, *obluctari*, quam resistere, *obsecundare*, quam parere: splendidius est *majestas orationis*, quam dignitas; *sceleratus ac perfidus*, quam nequam & infidus.

2. In crebris Metaphoris, Allegoriis, Hyperbolis rem amplificantibus; ut, si ex hominibus monstra, pestes, charybdes, voragine, oceanos, busta, incendia facias.

3. In figuris sententiarum vivacioribus, Hypothesis, Prosopopæia, Apostrophe, Exclamatione, aliisque, quibus maximè animi concitantur; ut, cum excitantur mortui, cum parietes loquuntur; cum assurgit patria & tumuli commoventur, inventur cælestes &c.

Gravi hoc & vehementi stylo utitur Cicero in Catilinam, Antonium, Pisonem, Verrem, aliósque, quorum vitia persequitur: dicique universè potest, in omnibus orationibus generis demonstrativi, quibus orator in scelera & eorum authores invehitur; aut quoties affectus odii, iræ, commiserationis similesque concitandi sunt, locum esse stylo gravi ac vehementi. Cavendum tamen quam maximè, ne affectata & supra modum tumida efficiatur oratio.

Questio 3. In quo situs est *stylus subtilis* & *tenuis*?

Bz. In verbis perspicuis & propriis, parcoque usia

usu troporum ac figurarum, præsertim sententiarum; quamvis acutis gaudeat sententiis & axiomatis.

Utitur Orator stylo tenui, in omni genere orationum, ut doceat, Judicem informet, factum exponat, mores instruat.

Lege Phædri Fabulas, Terentii Comædias, Ciceronis Orationes pro Quinctio & Flacco, ejusque Epistolas, Curtii aut Cæsaris Historiam? & quæ stylis subtilis & acuti natura sit, facilè deprehendes.

Questio 4. In quo consistit stylus temperatus?
R. In dulci quadam mixtura styli gravis & tenuis. De hoc ita Quintilianus: *Medius hic modus & transitionibus crebrior, & figuris erit jucundior, egressionibus amanior, sententiis dulcis, lenior tamen, ut annis lucidus, virentibus utrimque sylvis inumbratus.*

Hic dictionis character in orationibus panegyricis adhibendus est, iisque, quæ delectationem & leniores animi motus spectant.

Vide Orationes pro Lege Manilia, pro Marco Marcello & Archia Poëta, in quibus stylum planè floridum Cicero adhibuit.

CAPUT III. DE PARTIBUS SINGULIS ET COMPOSITIONE ORATIONIS.

Oratio quatuor necessariò constat partibus,
Exordio, Propositione (cui nonnunquam sub-

subjungitur *Narratio*, de qua in pro gymnas matis
Confirmatione, quæ interdum *Confutatione* indiger,
& *Peroratio*. Exordio præparamus auditorem;
propositione rem proponimus, confirmatione
candem probamus, peroratione concludimus.

ARTICULUS I.

DE EXORDIO ORATIONIS.

Questio I. Quid est Exordium?
R. Est Oratio animum auditoris idoneè
comparans ad reliquam dicti onem.

Compatatur autem animus auditoris tribus maxi-
mè rebus; si nempe eum benevolum, attentum, &
docilem reddiderimus.

Benevolus redditur Auditor, vel à persona nostra,
vel adversariorum, vel Judicu m; vel ab ipsa causa.

A persona nostra, captatur benevolentia, si de
nostris factis vel officiis, sine omni arrogantia dici-
mus; vel si prece & obsecratione humili utimur.

A persona adversariorum, si omnis invidia in eos
traducitur.

A persona Judicu m, si modestè laudentur ab ea
virtute, quam intendit oratio: V. G. Clementiā,
si ad parendum miseris inducendi sunt.

A re ipsa, si causam nostram laudando extolla-
mus, magnam fiduciam ostendamus.

Attentus redditur Auditor, si dicturum te de
rebus magnois, inopinatis aut valde utilibus pro-
mittas.

*Docilis efficitur, si aperiè, breviter & distinctè
status quæstionis proponatur.*

Questio 2. Quid vocatur Exordium abruptum?
R. Illud, in quo Orator non præparat audi-
torum animos, sed quodam velut impetu mentis
abreptus dicere incipit, vel indignando, vel commi-
serando, vel in alium affectum prorumpendo.
Eo casu Exordium ab abrupto fieri dicitur; habet-
que locum præsertim in invectivis orationibus, ant
funebris.

Ita Cicero in Catilinam incipit: *Quousque tan-
dem abutere, Catilina! patientiam nostram?* &c.

Et in Pisonem: *Jam ne vides, bellua! jam ne sen-
tis, quæ sit hominum querela frontis tua? quamvis
hic deesse quippiam aliqui autument.*

De cætero in Exordiis affectus non nisi lenes adhi-
beri solent; ut paulatim incitetur animus auditorum.

Questio 3. Quænam sunt Exordii virtutes?
R. Prima virtus est, ut sit accuratum &
singulari industria elaboratum, cui non desit oratoriū
numeris suavitas, & periodorum venustas.

2da, ut sit rei, de qua agitur, proprium: qua-
le erit, si, ut ajunt, ex visceribus causæ, seu locis
intrinsecis desumatur.

3ta, ut sit instructum sententiis; id est, præ-
stantibus quibusdam veritatibus, aut veterum pro-
nunciatis.

4ta, ut sua sponte in propositionem influat.

Questio 4. Quænam sunt vitia Exordii?
R. Ea, quæ jam dictis virtutibus contraria
sunt.

sunt. Et primò quidem; si sit nimis longum, nec satis elaboratum. 2dò si sit commune, & servire pariter adversario possit. 3tiò. Si tale sit, ut auditor nec benevolus, nec attentus nec docilis efficiatur.

Aristoteles & Quintilianus monent, in singulis orationum generibus esse proprium aliquid Exordio: in genere demonstrativo exordia maximè libera esse & longè à materia duci posse: in deliberativo sæpe nulla aut brevia adhiberi, cùm Orator non veniat supplex ad Judicem, sed hortator atque auctor. In genere judiciali ex ipsis visceribus causæ exordiendum esse, Judicem conciliando & causæ nostræ ualitatem accersendo.

Questio 5. Quid agendum illi, cui deest materia pro Exordio?

R. Is advertat. quidquid in confirmatione ponipotest, posse etiam ponи in Exordio. Unde ex tota massa materiarum, quas collegit, ea, quæ efficaciora sunt, adhibeat in confirmatione; leviora verò, & quæ alibi commodè usurpari nequeunt, collocet aut reservet pro Exordio.

Ego, inquit Cicero L. 2. de orat. *Omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremo loco soleo considerare, quo utar exordio? Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare.*



ARTICULUS II.

DE PROPOSITIONE ORATIONIS.

Quid est Propositio orationis, & quales virtutes habere debet?

R^e. Propositio est brevis summa totius Orationis quâ scilicet exponit Orator, quid sit dicturus.

Unde semper brevis & perspicua sit oportet, ut Auditor illico totius orationis & scopum & substantiam intelligat.

Plerumque in duas aut plures partes dividitur, tūm, quod divisio claritatem afferat orationi, tūm quod memoriam & dicentis adjuvet & audientis; si partes singulæ eodem, quo propositæ fuerunt, ordine pertractentur.

Cicero Philip. 7. Cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Hæc tria dum explico, peto à vobis patres conscripti, ut eadem benignitate, quâ soletis, verba mea audiatis.

Pro Muræna. Intelligo Judices, tres accusationis partes fuisse; & earum unam in reprehensione vite, alteram in contentione dignitatis, 3tiā in criminibus ambitūs esse versatam.

Post propositionem, benevolentia auditorum peti solet ab Oratore, ut Cicero supra; Peto à vobis patres conscripti! ut eadem benignitate, quâ soletis, verba mea audiatis.

Advertendum præterea, quod genus orationis,

quo ad nomen, à propositione dependeat; ut nimur dicatur vel demonstrativi vel deliberativi generis oratio. V. G. Si in propositione dixeris, te ostensurum, fontem malorum esse superbiam; facies orationem generis demonstrativi; cavendum que erit in Epilogo, ne ad fugiendam superbiam horteris: è contrà verò si in propositione promittas, probaturum te, quòd vitanda sit superbia; oratio fiet generis deliberativi. Atque in Epilogo ad fugam superbiae adhortari poteris.

ARTICULUS III. DE CONFIRMATIONE ORATIONIS.

Questio 1. Quid est Confirmatio Orationis?
Bz. Pars illa præcipua, in qua Orator rei propositæ fidem facit, vocatur confirmatio. Fidem autem facit per Argumenta in ordinem disposita, quod argumentatione efficitur, ut dictum toto cap. 1. libri hujus.

Questio 2. Quis inter varia Argumenta servandus est ordo, in oratione?

Bz. Ut, quod putatur fortissimum argumentum, primo loco, &c., ut ajunt, in fronte ponatur, quo facilius intellectus convincatur: Deinde quæ leviora sunt, medium locum occupent: Excellentissimum verò statuatur in fine.

Illud dici potest excellentissimum, quod maximè tangit præsentes auditores, atque apud hos plurimum momenti ac plausûs creditur habiturum. Verum sicut peritus belli dux, ut hostem expugnet, non

non tantum exercitum universum in aciem disponit, sed singulas etiam legiones ac cohortes, ordine ac loco statuit, ut aliæ ab aliis fulciantur & adjuventur, ita Orator probationes singulas & argumenta singula eo modo disponere debet, ut priora à posterioribus roborentur & confirmarentur. Crescere enim semper debet oratio, usque dum ad summum pervenerit.

Questio 3. Quid Agendum, si Confirmatio plures habeat partes?

R. Singulæ per ordinem dilucidè proponantur, tractentur, roborentur, absolvantur; neque enim inter se misceri debent, sed ab una parte ad alteram gradus faciendus est; idque per particulas idoneas & certas transitionum formulas, quibus & partes confirmationes inter se, & probationum aliæ cum aliis connectantur.

Questio 4. Quænam illæ sunt transitionum formulæ?

R. Sequentes, aliæque similes.

Sit V. G. probandum, Eloquentiam esse utilem & honestam: hoc modo transibis, à parte unâ ad alteram.

Hactenus de utilitate Eloquentia: nunc illius dignitatem atque honestatem cognoscite.

Utilitatem vidimus, dignitatem expendamus:

Utilitas Eloquentia, ut equidem arbitror, nunc satis perspecta est: ad honestatem illius anhelat & properat oratio.

Nunc exspectare videmini, ut de Eloquentiae dignitate quedam in medium proferam.

Reliquum est, ut oratio velis remisque omnibus in Eloquentia dignitatem excurrat.

Sed quid tanto tempore de Eloquentia utilitatibus dissero? ad dignitatem illius deveniamus.

Huc referri possunt transitiones illæ, quæ de Chri^x partibus inter se nec tendis afferentur.

ARTICULUS IV. DE CONFUTATIONE.

Pars illa orationis, qua adversariorum argumenta & objectiones refellimus atque diluimus, Confutatio vocatur, utiturque hæc eodem fonte inventionis, quo confirmatio; propterea quod quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem ex locis possit infirmari & confutari.

Questio 1. Quis ordo servandus est in confutandis adversariorum argumentis?

R^s. Contrarius ferè; qui in confirmatione: primò enim confutantur argumenta, quæ infirma aut mediocria sunt: deinde quæ fortissima judicantur: denique facillima, in quibus maximè triumphatus videatur Orator.

Potest tamen servari etiam is ordo in refellendo, quem adversarius tenuit in objiciendo.

Questio 2. Quot modis fit Confutatio?
R^s. Juxta Quintilianum L. 4. c. 13. modis tribus, nimirum negando; redarguendo, ele-
vando.

Questio 3. Quomodo confutamus negando?
R^s. 1. Si rem ab adversario allatam simpli-
citer negamus.

Cicero pro Quint. Negamus te bona Quintū,
Sexte Navi! posse dīsse, ex edicto præteris.

2. Si

2. Si crimen ab ejus persona, quem defendimus, alienum ostendimus.

Pro Rosc. Patrem occidit Sextus Roscius. *Qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus; annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax & saepe in cæde ver-satus.* At hæc ab accusatore ne dici quidem audistis.

3. Si factum negemus ab adjunctis loci, temporis aliisque circumstantiis. Hac industria, confutat Cicero argumenta contra Milonem allata.

Questio 4. Quomodo confutamus redarguendo?

R. 1. Si, quod adversarius attulit, esse dubium factum, aut non probabile ostendamus.

Pro Roscio. Exhæredare pater filium cogitabat. Mitto querere, qua de causa? quero, qui scias?

Pro Cluentio. Nam verò illud quam non probabile, quam inusitatum, judices, quam novum, in pane datum venenum? faciliusne potuit quam in poculo & lateantiū potuit abditum aliqua in parte panis, quam se totum collique factum in partione esset?

2. Si pugnantia dixisse convincatur adversarius.

Pro Roscio. Vides, Eruci, quantum distet Argumentatio tua abs re ipsa atque à veritate: quod consuetudine patres faciunt, id quasi novum reprehendis: quod benevolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris causa pater filio concessit, id eum supplicii causa fecisse dicis.

3. Si crimen in adversarios detorqueamus, quod Ciceroni frequentissimum. Aut si objectiones tanquam nullius momenti contemnamus, vel etiam risu & facetiis explodamus. Quā arte Cicero L. Flaccum severitati Judicium eripuit.

Questio 5. Quomodo confutamus elevando?
R. Quando rem, quæ negari non potest, extenuamus, atque emollimus. Ita Cicero, cum Cœli luxuriam negare non posset, vitium temporis potius quam hominis esse dixit, concedendam esse aliquid etati &c.

ARTICULUS V. DE PERORATIONE.

Questio 1. Quid est Peroratio?
R. Est artificiosus orationis exitus, sive, est extrema pars orationis, in qua id, quod tota oratione intendit Orator, majore vehementiâ & contentione evineat atque obtinere nititur.

Unde in hac parte omnibus armis eloquentiæ prægnandum est, ut expugnentur animi, & eò, quò vult Orator, flectantur, séque ultro dedant.

Atque ob hanc rem, non minore, quam exordium, industriâ elaborari debet peroratio, quòd ea, quæ tunc dicuntur, mentibus auditorum maximè adhærescant, & res plerumque ab exitu & fine probentur.

Questio 2. Quot partibus constat peroratio?
R. Juxta Ciceronem, partibus tribus: Enumeratione dictorum, Amplificatione, & Affectu. Hæc enim tria Oratori omnino necessaria sunt, ut dominetur animis, & apiculatum more, quæ mel in ore gerant, spiculum à tergo infigat.

Questio 3. Quid est Enumeratione, & quomodo instituenda?

R. Enumeratione est rerum fusè dictarum brevis summa & artificiosa repetitio. Hujus dæo sunt tempora; primum, si memoriae auditorum diffidimus

mus : alterum , si argumenta in unum collecta vim
habitura sint majorem.

Cicero pro Lege Manil *Quare cùm & bellum ita
necessarium sit ; ut negligi non posset ; ita magnum , ut
accuratissimè sit administrandum : & cum ei Impera-
torem præficere possitis , in qua sit eximia belli scientia ,
singularis virtus & clarissima authoritas , egregia for-
ritudo , dubitabitis Quirites ! quin hoc tantum bonum ,
quod à Diis immortalibus oblatum & datum est , in rem-
publ. conservandam atque amplificandam conferatis ?*

Ex quo exemplo liquet , in peroratione non nisi
summa argumentorum capita , cum ornatu , delibana-
da esse , ac eo quidem ordine , quo in confirmatio-
ne allata fuerunt ; cavendumque imprimis , ne
longiore repetitione , altera oratio esse videatur .

Questio 4. Quæ amplificatio , & qui affectus
in peroratione adhibendi sunt ?

R. Observanda sunt ea , quæ L. i. c. 2. dicta sunt .
Cum verò Orator postremâ hac parte eòspectet ,
ut auditores non modo benevoli se dedant , sed
etiam repugnantes trahantur ; hic omnes affectus
primum in Oratore ipso , dein & in auditoribus ,
ubi res exigit , concitandi erunt . Quapropter am-
plificationes gravissimæ per hypotiposes , exclama-
tiones , definitiones conglobatas &c. hic si usquam
aliàs , adhibendæ erunt .

ARTICULUS VI.

DE

MODO COMPO- NENDI ORATIONEM.

Quanquam res ista exemplis potius ac diligentí
lectione Orationum Ciceronis , quam præ-
ceptis

ceptis multis perdisci possit; non parum tamen proderit, si compositurus orationem sequentia animadvertis.

1^{mo} Et ante omnia, Crinomenon seu statum quæstionis recte intelligat.

2^{do} Scopum orationis certum sibi præfigat, ad quem argumenta omnia dirigat: quidquid verò ad scopum istum non spectat, tanquam otiosum, & noxiū respuit. V. G. Si de Ebrietate dicendum sit, vide, cum multa dici de illa possint, quid potissimum dicere velis.

3^{ti}o. Si V. G. dissuadere vis adolescentibus Ebrietatem, quære ex te, cur adolescentibus vitanda sit ebrietas? & mox ingens sylva argumentorum materiarūmque huc spectantium occurret, ut, quod sit turpis & noxia, quod hominem bestiis similem faciat, quod rixas, bella, cædes excitet &c. quæ obiter in chartam conjicienda erunt.

4^{to} Ex his optimas rationes selige pro confirmatione.

5^{to}. Argumenta omnia in ordinem dispone, vel syllogismo, vel enthymate vel alio argumentandi genere, secundum dicta superiùs: propositiones verò singulas vide quibus modis & figuris efferre, quomodo exornare atque amplificare possis. Hæc pariter annota.

6^{to}. Priusquam manum compositioni admoves; fac tibi torius orationis rudem quandam ideam, & quasi Synopsin, quam ante oculos habeas; semper respicias inter componendum, ne à scopo atque à materia aberres.

7^{mo} Habitâ orationis idéâ, singulas ejus partes ordine elabora; quanquam, ut dictum est, exordium in finem rejici possit.

FINIS LIBRI II.

Sequitur Liber tertius.